

OFFICIA PROPRIA  
DIOESESOS  
PASSAVIENSIS

PARS VERNA

Die 25 vel 26 Februarii

S. WALBURGÆ

Virginis

Duplex

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

Oratio

**D**eus, qui inter innúmera grátie tuæ dona étiam in sexu femíneo tua operáris magnália: concéde propítius; ut beátæ Walbúrgæ Virginis tuæ apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus non solum castitátis illustrámur exémplis, verum étiam miraculórum glória jucundámur. (Per Dóminum.)

Deinde fit Commemoratio Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

**W**albúrga, sancti Richárdi Anglórum regis filia, sanctórum Willibáldi et Wunibáldi soror, virginitátem suam ab ipsis prope incunábulis Christo sponso dicávit, ómnibus hujus mundi illécebris fórtiter contéptis. Quæ cum sanctitátem suam in pátria mirum in modum probáset, a sancto Bonifátio non sine fratrum assénsu ex Anglia in Germániam cum plúribus áliis Deo devótis feminis evocáta est, ut disciplínam religiósam apud sanctimoniáles partim plantáret, partim conserváret ac amplificáret. Quod ipsa strénue præstitit se ipsam éxhibens exémplum in conversatióne, in caritaté, in castitáte.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Et.**

#### Lectio v

**E**x Thuringia Heidenhémium a Willibáldo fratre accersita venit, ut recens cóndito virginum monasterio præesset. Præfuit et quidem ádeo feliciter, ut mórtuo sancto Wunibáldo ipsi étiam cænóbium virórum committerétur. Quo in múnere dum summa integritatis, prudéntiæ et sanctimóniæ laude non sine éditiis miráculis versarétur, ad gáudia cælestia, quorum desidério vehementer inflammáta erat, migrávit anno salutis septingentésimo septuagésimo nono, sepúlta Heidenhémii, Willibáldo episcopo sanctæ vírgini et soróri justa persolvénte.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

#### Lectio vi

**H**eidenhémii sancta virgo domicilium et sepúlcrum hábit usque ad Otkárium sextum Episcopum Eystetténsenem, cujus auctoritate clerique approbatióne castissimæ virginis reliquiæ Eystádium sollémni pompa et ómnium órdinum accursu translátæ sunt ad locum, qui nunc a sancta Walbúrga nomen habet: sic tamen, ut pars sacrarum reliquiárum monasterio Monheiménsi céderet rogátu Lióbæ abbatissæ. Utrobique plúrima mirácula mox edi cœpta. Eystádium id peculiare habet, quod ex benedictis Walbúrgæ ibídem recónditis óssibus limpidissimum variisque infirmitátibus salutíferum óleum manat.

**R.** Afferéntur Regi virgines post eam, próximæ ejus \* Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.**

**In III Nocturno Homilia in Evangelium** Simile erit regnum cælórum decem virgini-

bus, de Comuni Virginum  
1 loco. IX Lectio de Homilia  
Feriae.

## AD LAUDES

**V.** Diffusa est gratia in  
labiis tuis. **R.** Propterea  
benedixit te Deus in ætér-  
num.

**Ad Bened. Ant.** Simile  
est regnum cælórum \* hó-  
mini negotiatóri quærénti  
bonas margarítas: invén-  
ta una pretiósá, dedit óm-  
nia sua, et comparávit  
eam.

## Oratio

**D**eus, qui inter innú-  
mera gratiæ tuæ do-  
na étiam in sexu femíneo  
tua operáris magnália:  
concede propítius; ut beá-  
tæ Walbúrgæ Virgínis  
tuæ apud misericórdiam  
tuam patrocínia sentiámus,  
cujus non solum castitátis  
illustrámur exém-  
plis, verum étiam mira-  
culórum glória jucundá-  
mur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Feriæ.**

## IN II VESPERIS

**V.** Diffusa, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Veni,  
Sponsa Christi, \* áccipe  
coronam, quam tibi Dó-  
minus præparávit in æ-  
térnum.

**Et fit Commemoratio Feriæ.**

## Die 15 Martii

S. CLEMENTIS  
MARIE HOFBAUER

## Confessoris

## Duplex majus

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum. **R.**  
Stolam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Simi-  
lábo eum \* viro sapiénti,  
qui ædificávit domum su-  
am supra petram.

## Oratio

**D**eus, qui beátum Cle-  
méntem Mariam mi-  
ro fidei róbre et invíctæ  
constántiæ virtúte deco-  
rásti: ejus méritis et ex-  
émplis fac nos, quæsu-  
mus, ita fortes in fide et  
caritáte fervéntes; ut præ-  
mia consequámur ætérna.  
Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio Feriæ.**

## In II Nocturno

## Lectio iv

**C**lemens María Hof-  
bauer Tassovítii in  
Morávia natus, a prima  
ætáte in schola christiá-  
næ perfectiónis eruditus  
est; magístra potíssimum  
religiosíssima matre, quæ  
puérulum post patris óbi-  
tum osténsa Christi Dó-  
mini e cruce pendéntis  
imáagine sic allocúta fer-

tur: En fili, qui hinc in pósterum tibi futúrus est pater; cura, ut per eam, quæ ipsi placet, viam incédas. Aduléscens pistóriam artem didicit; sed ad majóra se vocári præsentiens cœpit inter laboriósæ artis exercitium ad stúdiúm incúmbere litterárum. Bis Romam pedes ad limina Apostolorúm peregrinátus est, bis étiam rerum cæléstium contemplatióni libérior vacatúrus in erémum secéssit. Verum Deo illum ad altióra vocánte intermissa litterárum stúdia in Vindobonénsi universitaté repétiit, navitérque prosecútus est; donec ex purióre fonte sacras disciplínas haustúrus, Romam tértium remigrávit. Ibi in sancti Alfónsi familiam singulári Dei providéntia cooptátus est, quam ipsius ópera in díssitas regiónes propagátum iri sanctus idem Patrens divíno instinctu præsensit ac palam prænuntiávit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum:

\* Et dedit illi claritatem

etérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

**A**bsolúto cum magno spíritus fervóre tirocinio ac présbyter factus in septentrionáles Európæ provinciás a Sede Apostólica missus est. Erécto Varsáviæ in Polónia primo suæ congregatiónis domicílio, et plúribus sibi adjúctis sóciis, incredibile est, quam copióso ibi fructu sacerdotália múnera ultra vicénnium expléverit; nihil labóris recusans, sive ut cathólicos ad bonos mores et pietátis cultum revocáret, sive ut hæréticos et Judæos ad veram fidem addúceret. Multa étiam ad religiósam juventútis institutió-nem præstitit. Orphanórum sortem miserátus eréxit hospítium, ubi miserárimos quosque patérna caritaté alébat; visus subínde stipem eórum causa emendicáre, immo nec fáciem ab increpántibus et in se conspuéntibus avértere. Inter has autem curas semper coram Deo ámbulans, Deiparæ Virgini, cujus Ro-

sarium assidue recitabat, singulariter devotus, rectus, simplex, humilis, cunctis affabilis et benignus, omnibus velut sanctitatis exemplar jugiter praeluxit.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. **Et.**

### Lectio vi

**D**eo soli confisus, plures instituti sui domus variis in regionibus erexit. Ipse vero multas, ob temporum iniquitatem, acerbitates perpessus, et e Polonia tandem cum suis expulsus, secessit Vindobonam, ubi duodecim postrimis vite annis, ad Dei gloriam strenue operari perseveravit. Præter sedulam enim sanctionum virginum curam totus in eo fuit, ut prædicatione verbi Dei, sacramenti Pœnitentiæ administratione, quam plurimas a salute devias animas Christo lucrifaceret. Quem caritatis ignem, tum sacerdotibus, tum maxime selectæ juvenum cohorte, quorum complu-

res suum congregationi nomen dederunt, infundere adlaboravit. Illud autem indefessa sua opera consecutus est, ut languescentem populi fidem catholicumque spiritum non parum illa ætate imminutum corroboraret; dignus propterea, quem Pius septimus virum apostolicum, Vindobonensis cleri decus, Ecclesiæque columen appellaret. Meritis tandem plenus, et prodigiorum aliorumque cælestium charismatum munere illustris, prope septuagenarius obdormivit in Domino, Idibus Martiis, anno millesimo octingentesimo vigesimo. Eum Leo decimus tertius, miraculis clarum, Beatorum catalogo, Pius vero decimus novis fulgentem signis Sanctorum fastis accensuit.

**R.** Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Quia. Gloria Patri. Quia.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timere, de Communi Confessoris non Pontificis 2 loco. IX Lectio de Homilia Feriae.

## AD LAUDES

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

## Oratio

**D**eus, qui beatum Clementem Mariam miro fidei robore et invictae constantiae virtute decorasti: ejus meritis et exemplis fac nos, quaesumus, ita fortes in fide et caritate ferventes; ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum.

Et fit Commemoratio Feriae.

## IN II VESPERIS

**V.** Justum, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Hic vir despiciens mundum \* et terrena triumphans, divitias caelo condidit ore, manu.

Et fit Commemoratio Feriae.

## Die 27 Martii

## S. RUPERTI

## Ep. et Confessoris

## Duplex majus

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. (**T. P.** Alleluja.) **R.** Stulam gloriae induit eum. (**T. P.** Alleluja.)

**Ad Magnif. Ant.** Sacerdos et Pontifex, \* et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum. (**T. P.** Alleluja.)

## Oratio

**D**ea, quaesumus, omnipotens Deus: ut beati Ruperti Confessoris tui atque Pontificis veneranda solllemnitas, et devotio-nem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct.:

**Ant.** O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Joannes, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. (**T. P.** Alleluja.)

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. (**T. P.** Alleluja.) **R.** Et ostendit illi regnum Dei. (**T. P.** Alleluja.)

**Oratio**

Omnípotens sempitérne Deus, qui, ad cultum sacrárum imáginum asseréndum, beátum Joánnem cælésti doctrína et admirábili spíritus fortitúdine imbuísti: concéde nobis ejus intercessióne et exémplo; ut, quorum cólimus imáginés, virtútes imitémur et patrocínia sentiámus. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Ferie.

**In II Nocturno****Lectio iv**

**R**upértus, Vangionénsis (hódie Wormatiénsis) ecclésiæ epíscopus, regnánte Childebérto secúndo Francórum rege tanta humilitátis, mansuetúdinis, castitátis, prudéntiæ, ceterarúmque ómnium virtútum laude prædítus fuit, ut genus suum a Francórum régibus ductum exímia in Deum fide ac pietáte illustrárit. Is cum plenus Spíritu Sancto, óptime vivéndi formam seípsum gregi suo exhibéret, vita et facto probans, quidquid sermóne docuisset; religió-nem precáandi assiduitáte, prudéntiam dandis

consíliis, justítiam feréndis sentétiis, abstinéntiam corpus perpétuis jejúniis macerádo mirífice confirmávit; adeóque largus et benígnus erga inopes fuit, ut hoc solum suum existimárit, quod in míseros et egénos contulisset.

**R.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. (**T. P.** Allelúja.) **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

**Lectio v**

**Q**uam magnus autem fructus ex hac illius vita in céteros promanárit, multi non solum e vicínis, sed étiam longinquis regiónibus pópuli, ejus ope in salutis viam tradúcti testántur. Ac Théodo in primis, Baváriæ dux, sanctitátis illius et miraculórum fama audíta, legátos ad eum primários viros mittens rogávit, ut suas diciónes invísere, eásque ac se fidei lúmine collustráre vellet. At ille, licet multis persecutió-nibus fatigátus, pium ac sanctum onus non recusávit. Paulo igi-

tur post Théodo a Ruperto, una cum præcipuis procëribus ac magna multitudine hóminum, Regimbúrgi baptizátus est.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. (T. P. Allelúja.)

**V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

### Lectio vi

**R**upértus vero, cum episcopálem sedem ad lacum Wállersee constituisset, templúmque in honórem beáti Petri Apostolorum princípis Juvávi, in loco, qui nunc Salisbúrgum dicitur, clericórum ministériis aliisque rebus necessariis instrúctum, primus erexisset; ánimum statim ad réliquam gentem Bavariæ sacra Christi religióne imbuéndam convértit, eámque, duódecim viris óperæ et labórum sóciis adjúctis, ad cathólicam fidem, Deo pios conátus adjuvante, tradúxit. Cujus rei grátia factum est, ut Bavarórum apóstolus mererétur appellári. Cum dénique jactis passim mul-

tárum ecclesiárum fundaméntis episcopátum plúribus annis summa cum laude rexisset, sacrosánc-to Missæ sacrificio, ipso Domínico Resurrectiónis die, perácto, ac discipulórum ánimis patérna hortatióné confirmátis, cælésti vita perpétuo fruitúrus, migrávit ad Dóminum.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. (T. P. Allelúja.) **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo péregre, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco. In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

### AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te consti-



tuam, dicit Dóminus. (T. P. Allelúja.)

**Oratio**

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Ruperti Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollémnitas, et devotiõnem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni:

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui. (T. P. Allelúja.)

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) **R.** Stolam glóriæ índuit eum. (T. P. Allelúja.)

**Oratio**

Omnípotens sempitérne Deus, qui, ad cultum sacrárum imáginum asseréndum, beátum Joánnem cælesti doctrína et admirábili spiritus fortitúdine imbuisti: concéde nobis ejus intercessiõne et exémplo; ut, quorum cõlimus imáginés, virtútes imitémur et patrocínia sentiámus. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.

IN II VESPERIS

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

**Ad Magnif. Ant.** Amávit eum Dóminus, \* et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum. (T. P. Allelúja.)

Et fit Commemoratio sequentis:

**Ant.** Similábo eum viro sapiéti, qui ædificávit domum suam supra petram. (T. P. Allelúja.)

**V.** Amávit, ut supra.

**Oratio**

Deus, qui per beátum Joánnem fidéles tuos in virtúte sanctíssimi nóminis Jesu de Crucis inimicis triumpháre fecisti: præsta, quæsumus; ut, spirituálium hóstium, ejus intercessiõne, superátis insidiis, corónam justitiæ a te accipere mereámur. (Per eúndem Dóminum.)

Deinde Commemoratio S. Joannis Damasceni:

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Joánes, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. (T. P. Allelúja.)

**V.** Os justi meditabitur sapiëntiam. (T. P. Allelúja.) **R.** Et lingua ejus loquétur judícium. (T. P. Allelúja.)

### Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui, ad cultum sacrárum imáginum asseréndum, beátum Joánnem cælésti doctrína et admirábili spíritus fortitúdine imbuísti: concéde nobis ejus intercessióne et exémplo; ut, quorum cólimus imáginés, virtútes imitémur et patrocínia sentiámus. (Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit.)

Postea, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.

Die 5 Aprilis

B. CRESCENTIÆ HÖSS

Virginis

Duplex

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. (T. P. Allelúja.) **R.** Inténde, prospere procéde, et regna. (T. P. Allelúja.)

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. (T. P. Allelúja.)

### Oratio

**D**eus, qui in beáta Crescentiá Virgine tua christiánæ perfectiónis exémpulum misericórditer tribuísti: præsta, quæsumus; ut, ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Isidóre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. (T. P. Allelúja.)

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

### Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Isidórum ministrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio S. Vincentii Ferrerii:

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. (T. P. Allelúja.)

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) **R.** Stolum glóriæ induit eum. (T. P. Allelúja.)

### Oratio

Deus, qui Ecclesiám tuam beáti Vincéntii Confessóris tui méritis et prædicatióne illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut et ipsius instruámur exémpis, et ab ómnibus, ejus patrocinio, liberémur advérsis. (Per Dóminum.)

Postea, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**M**aría Crescentia Höss piis orta paréntibus textrínæ labóribus vitam ducéntibus Kaufbúræ in Suévia, vel a primula ætáte futúræ sanctitátis præbuit indícia. Adeo matúre didicit súpplices manus ad cælum tollere, et patri Evangélii facta narránti aures inténdere, Christóque patiénti illacrimári, ut viderétur prius divinárum rerum notítiam, quam loquélam fuisse assecúta. Inter lutheránæ sectæ perícula innocénter adulescéntiam

transégit, Deíparæ præsidio, cui virginitátis florem devóvit: tam modéste gressum morésque composuit, tanta caritáte pauperes distribuit, ut vel ipsos erróris fautóres in sui tráxerit admiratió-nem.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* Et dedúcet te mirabiliter délixera tua. (T. P. Allelúja.) **V.** Spécie tua et pulchritú-dine tua inténde, prospere procéde, et regna. Et.

#### Lectio v

**I**n Kaufburénse monastérium Tértii Ordinis sancti Francísci admitti pétiit; at, ob inópiam plúries repúlsa, tandem lutheráno viro instánte, urbis cónsule, qui de cœnóbio óptime méritus erat, etsi indotáta, recép-ta est ætátis suæ anno primo et vicésimo. Fá-cile pietátis et disciplínæ stú-dio céteras antecélluit, et quasi exémp-lar suspiciebátur: quod cum invidiam áliquot moniá-lium excítasset, diaboli calliditate con-flátam, diu acerbíssima quæque invicto ánimo tolerávit. Sæpe vel a suo

cubiculo exturbata, ac verbis spectrisque horrendum in modum a demone vexata est; donec innocentia ejus cognita, singularis Crescentiæ sanctitatis præcones ipsæ, quæ infensæ fuerant, præ ceteris evaserunt.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. (T. P. Allelúja.) **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

### Lectio vi

**I**nferioribus officiis egregie perfuncta, tirónibus præfuit, easque septem et decem annos sic instituit, ut unánimi suffragio totius asceterii præses renuntiaretur. Tunc maxime religiósæ disciplinæ stúdium in cœnobio floruit, et fama sanctitatis ejus, cælestibus donis aucta, totam Germaniam, Bavariam, Hungariam aliásque nationes pervasit. Eam, tamquam oraculum, ex díssitis quoque regionibus insignes viri, civitatum optimates, ipsique reges consúltum adibant, sanctámque cathólici simul atque acathólici

prædicabant. Tandem, prodigiis insignis, divini potius ardoris vi, quam morbo consúpta, cum secúndum et sexagesimum ætatis suæ annum ágeret, prænuntiata óbitus hora, ad cælestis Agni nuptias evolávit: quam Leo decimus tertius miraculis claram jubilári anno millésimo nongentésimo Beatárum Virginum fastis adscripsit, ejusque honóri officium recitari indúlsit.

**R.** Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus: \* Afferentur tibi in lætitia et exsultatione. (T. P. Allelúja.) **V.** Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procede, et regna. Afferentur tibi. Glória Patri. Afferentur tibi.

*In III Nocturno Homilia in Evangelium Simile erit regnum cælorum, de Comuni Virginum 1 loco. In Quadragésima IX Lectio de Homilia Feriæ; alias*

*Pro S. Vincentio Ferrerio:*

### Lectio ix

**V**incéntius, honésta stirpe Valéntiæ in Hispania natus, décimo octávo ætatis anno religiónis hábitum in órdine Prædicatórum induit; in quo, sa-

cris litteris sèdulo incùm-  
bens, theològiæ láuream  
summa cum laude obti-  
nuit. Mox verbum Dei  
tanta virtúte et effiçácia  
prædicáre cœpit, ut in-  
géntem infidélium multi-  
túdinem ad Christi fidem  
perdúxerit, et multa Chri-  
stianórum mília a peccá-  
tis ad pæniténtiam revo-  
cáverit. Quotídie Missam  
cum cantu celebrávit, quo-  
tidie ad pópulum contió-  
nem hábuit, carnes num-  
quam comédit, populórum  
júrgia sedávit; et, cum  
vestis inconsútilis Ecclé-  
siæ diro schísmate dis-  
scinderétur, ut unirétur et  
uníta servarétur, plúri-  
mum laborávit. Sénio tan-  
dem et morbo conféctus,  
ac miráculis appríme cla-  
rus, Venétia in Británnia  
minóri sanctíssime obiit.  
Quem Callístus Papa tér-  
tius inter Sanctos réttulit.  
Te Deum laudámus.

## AD LAUDES

**V.** Diffúsa est grátia in  
lábiis tuis. (T. P. Allelú-  
ja.) **R.** Proptérea benedi-  
xit te Deus in ætérnum.  
(T. P. Allelúja.)

**Ad Bened. Ant.** Símile  
est regnum cælórum \* hó-  
mini negotiátóri quærénti  
bonas margarítas: invén-

ta una pretiósá, dedit óm-  
nia sua et comparávit  
eam. (T. P. Allelúja.)

## Oratio

**D**eus, qui in beáta Cre-  
scéntia Virgine tua  
christiánæ perfectiónis  
exémplum misericórditer  
tribuísti: præsta, quæsu-  
mus; ut, ejus imitatióni  
júgiter inhæréntes, gló-  
riam consequámur ætér-  
nam. Per Dóminum.

## Et fit Com. S. Vincentii:

**Ant.** Euge, serve bone  
et fidélis, quia in pauca  
fuísti fidélis, supra multa  
te constítuam, intra in  
gáudium Dómini tui. (T.  
P. Allelúja.)

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. (T.  
P. Allelúja.) **R.** Et ostén-  
dit illi regnum Dei. (T. P.  
Allelúja.)

## Oratio

Deus, qui Ecclésiám tu-  
am beáti Vincéntii Con-  
fessóris tui méritis et præ-  
dicatióne illustráre digná-  
tus es: concéde nobis fá-  
mulis tuis; ut et ipsius in-  
struámur exémplis, et ab  
ómnibus, ejus patrocínio,  
liberémur advérsis. (Per  
Dóminum nostrum.)

Deinde, in Quadragesima,  
fit Commemoratio Feriæ.

## IN II VESPERIS

**V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. (T. P. Allelúja.) **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum. (T. P. Allelúja.)

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* accipe coronam, quam tibi Dóminus preparávit in ætérnum. (T. P. Allelúja.)

## Oratio

**D**eus, qui in beáta Cre-scéntia Vírgine tua christiánæ perfectiónis exéplum misericórditer tribuisti: præsta, quæsumus; ut, ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Vincentii Ferrerii:**

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu. (T. P. Allelúja.)

**V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

## Oratio

Deus, qui Ecclésiám tuam beáti Vincéntii Confessoris tui méritis et prædicatióne illustráre

dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut et ipsius instruámur exéplis, et ab ómnibus, ejus patrocinio, liberémur advérsis. (Per Dóminum.)

**Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.**

Die 19 Aprilis

S. LEONIS IX

Papæ et Conf.

Duplex

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) **R.** Stolum glóriæ induit eum. (T. P. Allelúja.)

**Ad Magnif. Ant.** Sacérdos et Póntifex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum. (T. P. Allelúja.)

Oratio

C 1

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Leónem Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitisti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

**L**eo, hujus nóminis nóminus, ex nóbili Francórum prosápia oriúndus,

Dagsburgensis Comes, ac Tullensis episcopus, Bruno antea dictus, omnium cardinalium suffragiis, ac communi fidelium gratulatione, ad sanctissimam Petri sedem evectus est, et in ea sedit annis quinque, mensibus duobus, diebus octo. Vir omni virtutum genere, et sacra doctrina eximius: ut Apostolicum hoc munus impleret, nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis incommodis pepercit.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluja. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocet ei. **Manus.**

#### Lectio v

**G**ermaniam et Italiam sæpius, Galliam semel visitavit. Habuit novem concilia, Rhemis, Moguntia, Vercellis, Papia, Romæ ad restaurandos Christianorum mores. Multas litteras ad imperatores, reges, patriarchas, episcopos, zelo ac pietate flagrantes scripsit. Legatos ad imperatorem Constantinopolitanum, pro reductione

Græcorum, semel, atque iterum misit. Berengarium hæreticum semel iterumque damnavit, et Michaelem Cærularium patriarcham, insignem schismaticum, anathemate percussit.

**R.** Põsui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluja.

**V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

#### Lectio vi

**D**um Romæ ægeret, ter in hebdomada a sacrosancta ecclesia Lateranensi ad Vaticanam, nudis pedibus, noctu, orans et psallens pergebat. Principi Apostolorum decimam oblationum partem sibi de more competentem, pontificio diplomate cessit. Patrimonium suum proprium in erectionem monasterii impendit: unde etiam quotannis pecunia submitteretur in sumptus rosæ aureæ, quam Romani Pontifices antiquo, et sollenni ritu benedicunt. In pauperes et peregrinos effusam liberalitatem exercuit. Sub leprosi forma et habitu

Christum aliquándo próprio lecto excépit. Dénique multis pro ecclésia labóribus exantlátis, óbiit die décima nona Aprílis, anno millésimo quinquagésimo quarto, ante et post mortem multis miráculis clarus, ac sepúltus est in Vaticáno.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum, allelúja. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Ipsé. Glória Patri. Ipsé.**

*In III Nocturno Homilia in Evangelium Venit Jesus, de Communi Summorum Pontificum.*

#### AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. (T. P. Allelúja.)

#### Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Leónem Summum Pontificem perpétua protectióne custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

#### IN II VESPERIS

**V.** Justum, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Dum esset Summus Póntifex, \* terréna non méruit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit. (T. P. Allelúja.)

Die 21 Aprilis

S. CONRADI  
A PARZHAM

Confessoris

Duplex II classis

*Omnia ut in Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria.*

#### IN I VESPERIS

**Capit. Eccli. 31, 8-9**

**B**eátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.



**Hymnus**

**C**hriste, virtutum decora-  
rans corona,  
Luce divina refoves clien-  
tes,

Ardua ut caeli teneant per  
ævum  
Sospite cursu.

Te pium sancto vene-  
rans amore

Principem pacis, sapiens  
serena

Fronte Conradus bona  
cuncta spernit  
Illita fucis.

Dura perpessus, fidei  
supernæ

Viribus perstat, validam  
requirens

In tuo solum, velut arce  
firma,  
Corde salutem.

Ejus in nobis meritis  
virescens

Stet fides semper, colu-  
menque rebus

Spes in adversis, et amoris  
almi  
Vivida virtus.

Sit decus Patri, genitæ-  
que Proli,

Et tibi, compar utriusque  
virtus,

Spiritus semper, Deus  
unus, omni

Temporis ævo.

Amen.

**V.** Ora pro nobis, beate  
Conrade, allelúja. **R.** Ut  
digni efficiámur promissi-  
onibus Christi, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Humi-  
liávit se \* sicut párvulus;  
omnium se servum fecit,  
ut plures lucrifáceret; fac-  
túsque est magnus in reg-  
no cælórum, allelúja.

**In II Vesperis**

**Ad Magnif. Ant.** Cari-  
tate fraternitátis \* dilé-  
xit, necessitatibus páu-  
perum comunicávit, mi-  
sértus est in hilaritate;  
ideo stabilita sunt bona  
illius in Dómino, allelúja.

**Oratio**

**D**eus, qui misericórdia  
tuæ jánuam fídelibus  
patere voluisti: te suppli-  
ces exorámus; ut, inter-  
cedente beáto Conrado  
Confessóre tuo, tempo-  
rália subsidia nobis trí-  
buas et æterna. Per Dó-  
minum.

**Et fit Commemoratio S. Anselmi Ep., Conf. et Doct.:**

**Ant.** O Doctor óptime,  
Ecclesiæ sanctæ lumen,  
beate Anselme, divinæ  
legis amátor, deprecáre  
pro nobis Fílium Dei, al-  
lelúja.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stolum glóriæ induit eum, allelúja.

### Oratio

Deus, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Ansélmum mínistrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

### AD MATUTINUM

**Invit.** Regem Confessorum Dóminum, \* Veníte, adoremus, allelúja.

**Ps. 94** Veníte, exsultemus.

**Hymnus** Christe, virtutum, *ut supra in I Vespere* 17\*.

### In I Nocturno

De Epístola prima  
beáti Pauli Apóstoli  
ad Corínthios

### Lectio i Cap. 1, 26-31

**V**idéte vocatióem vestram, fratres; quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes;

et infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret; ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redemptio; ut, quemádmódu scriptum est, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

**R.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam: \* Intra in gáudium Dómini tui, allelúja. **V.** Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. **Intra.**

### Lectio ii Cap. 2, 1-5

**E**t ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim iudicávi me scire áliiquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos. Et sermo meus et prædicatio mea, non in

persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

**R.** Justus germinabit sicut lilium: \* Et florébit in aeternum ante Dominum, allelúja. **V.** Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. **Et.**

### Lectio iii Ibid., 12-16

**N**os autem non spiritum hujus mundi accépinus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciámus quae a Deo donata sunt nobis; quae et loquimur, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spirituálibus spirituália comparantes. Animális autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spirituáliter examinátur. Spirituális autem júdicat omnia, et ipse a némine júdicátur. Quis enim cognóvit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habémus.

**R.** Iste cognóvit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exorávit Altissimum: \* Et inventus est

in número Sanctorum, allelúja. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad caeléstia regna. **Et.** Glória Patri. **Et.**

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**C**onradus, in ruráli praedio ad oppidum Parzham in dicecési Passaviénsi, piis honestisque paréntibus natus, inde a puero modéstia et solitudinis amóre, quanta futurus esset sanctitate, praemonstrávit. Mirus jam tum in eo elucébat devotiónis fervor, máxime cum in ecclesia oráret; quam longe sitam, neque itinere neque frígore detérritus, frequentáre solébat. Summo erga beátam Vírginem amóre inflammátus, quotidie ejus Rosárium assidue iterábat, diebúsque festis persépe ad remotióra ipsius Deiparae sanctuária pergébat: ex quibus pedestribus peregrinationibus, júgiter orándo susceptis, domum remeábat sub vésperum fere semper jejúnus. Integra juventúte in agrórum cultúra transácta, ut árcetiús Deo adhæreret eique libérius famularétur,

mundo valedicere stáruit; quaprópter perámplo patrimonío abdicáto, annum agens primum supra trigésimum inter fratres láicos órdis Minórum Capuccinórum, adnumerári obtínuit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

#### Lectio v

**S**tatim ab emíssa professione, ad sanctæ Annæ convéntum civitátis Vetættingæ missus fuit; locus autem célebris est et frequentíssimus inter cétera Germánicæ diciónis Mariána sanctuária, ádeo ut plura fidélium centéna milia illuc singulis annis convéniant. Ob tantum ad eándem civitátem concúrsum, perdifficile in cænóbio evádit janitóris officium; quod Conrádus, cui hujúsmodi munus statim ab ejus adventu fúerat demandátum, ad óbitum usque retínuit, et tamquam exémplici apostolátum explévit.

Impiger in labóre, parcus in loquendo, erga páuperes largus, in peregrínis excipiéndis juvandisque promptus, per annos quadraginta et ámplius ostiárii onus æquanímiter gessit, máximo incolárum et peregrínórum emoluménto, in ómnibus tum ánimæ tum córporis necessitátibus.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. **V.** Índuit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

#### Lectio vi

**V**irtútibus ómnibus præclárus, siléntium summópere adamávit. Per diem subsecíva témporis moménta insumébat in quodam tuguriolo, jánuæ propínquo, e quo sanctíssimam Eucharístiam invísere et adoráre póterat; de nocte vero horas subripiébat somno, quas in fratrum conditório vel in ecclésia oratióni dabat. Etsi consenuisset, quiétinumquam se trádídít, sed in labóribus piisque exercítiis ad extrémum usque perréxit. Revéra quadam

die cum plúribus peregrinántium turmis satisfacisset, agnóvit córporis víribus prorsus destítui; ac trídúo post, undécimo Kaléndas Maji, obdormívit in Dómino, anno milésimo octingentésimo nonagésimo quarto, ætátissuæseptuagésimoquinto. Hunc Dei fámulum, heróicis virtútibus et miráculis clarum, Pius Papa undécimus anno millésimo nongentésimo trigésimo inter Beátos réttulit; novisque miráculis fulgéntem, quadriénno post, idem Summus Póntifex Sanctórum fastis sollémniter adscripsit.

**R.** Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Quia. Glória Patri. Quia.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

#### Lectio vii Cap. 11, 25-30

**I**n illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine

cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis  
Chrysóstomi

#### Homília 38 alias 39 in Matth., n. 1-3

**C**onfíteor tibi, hic significat, Grátias ago tibi. Grátias ago, inquit, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus. Sapiéntes autem hic vocat scribas et pharisæos. Hæc porro dicit, ut discipulos alacrióres reddat, et osténdat quanta consecúti sint piscatóres, a quibus illi omnes excidérunt. Cum vero sapiéntes vocat illos, non de vera et laudábili sapiéntia lóquitur, sed de illa quam videbántur ex gravitáte consecúti. Idcirco non dixit: Revelásti stultis; sed, Párvulis, sincéris scilicet ac simplicibus. Ostendítque illos, non solum quod digni non essent, sed jure étiam hæc non esse adéptos; nosque per ómnia docet ut a supérbia fugiámus, et simplicitátem sectémur. Deínde, cum per ea quæ dixerat ipsis desidérium

indidisset, suámque infáblem poténtiam demonstráset, tunc vocávit illos, dicens: Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego reficiam vos.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum, allelúja. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. **I**pse.

### Lectio viii

**V**eníte, non ut pœnas véxpetam, sed ut peccáta solvam; veníte, non quod glória vestra égeam, sed quod salútem vestram sítiam. Ego, inquit, reficiam vos. Non ait, Salvos fáciam, sed, quod multo magis est, In omni quiéte constítuam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum meum suáve est, et onus meum leve. Ne timeátis, inquit, cum jugum audítis, suáve quippe est; ne formidétis

quia dixi onus, leve quippe est. Et quómodo supra dixit: Angústa est porta, et arcta vía? Nempe, si segnis sis, si remíssus. At, si supra dicta perféceris, leve erit onus; idcirco nunc illud hujúsmodi esse dixit. Quómodo autem id perficitur? Si fúeris húmilis, mansuétus et modéstus.

**R.** Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: \* Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. **V.** Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. **Et. Glória Patri. Et.**

**Pro S. Anselmo:**

### Lectio ix

**A**nsélmus, Augústa Prætoríæ in finibus Itáliæ, nobílibus et cathólicis paréntibus natus, aduléscens, pátria et bonis ómnibus derelíctis, in monastério Beccénsi órdis sancti Benedícti emíssa regulári professióne, in lítteris et virtútibus assequéndis mirum in modum profécit. Régibus, epíscopis veneratióni fuit, et sancto Gregório séptimo

étiam accéptus, qui tunc, persecutióibus agítatus, litteras amoris plenas ad eum dedit, se et Ecclésiám ejus oratióibus comméndans. Defúncto Lanfráncó archiepiscopo Cantuariénsi, ejus olim præceptóre, ad ejúsdem ecclésiæ régimen vocátus, verbo et exémplo, scriptis et concíliis celebrátis, pristinam pietátem et ecclesiásticam disciplínam redúxit. Sed cum mox Willélmus rex vi et minis jura Ecclésiæ usurpáre tentásset, ipseque invicte restitísset, bonórum directiÓNem et exsílíum passus, Romam ad Urbánum secúndum se cóntulit. A quo honorífice excéptus et summis láudibus ornátus, in Barénsi concílio Spíritum Sanctum étiam a Fílio procedéntem, contra Græcórú errorém, innúmeris Scripturárum et sanctórum Patrum testimóniis propugnávit. Post mortem Willélmi, ab Henríco rege ejus fratre in Angliam revocátus, obdormívit in Dómino.

Te Deum laudámus.

**Si autem IX Lectio alicujus Officii commemorati non sit dicenda, erit sequens**

### Lectio ix

**J**ugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Ita et Paulus suádet, dicens: Momentáneum et leve tribulatiónis, mire et supra modum, ætérnum glóriæ pondus operátur. Et quómodo leve est onus, inquires, cum dicat: Nisi quis ódio habúerit patrem et matrem; et, Qui non tollit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; et, qui non renúnciat ómnibus quæ pössidet, non potest meus esse discipulus; cum júbeat ipsam quoque ánimam ódio habére? Te Paulus dóceat, dicens: Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio, an angústia, an persecútió, an fames, an núditas, an periculum, an gládus? Et, Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Dóceant te qui a conséssu Judæórum post mille vérbera redibant gaudéntes, quia digni hábiti fúerant pro nómine Christi contuméliam pati.

Te Deum laudámus.

## AD LAUDES

Capit. Eccli. 31, 8-9

**B**eátus vir, qui invéntus  
est sine mácula, et  
qui post aurum non ábiit,  
nec sperávit in pecúnia et  
thesáuris. Quis est hic, et  
laudábimus eum? fecit  
enim mirabilia in vita  
sua.

## Hymnus

**M**ortále pectus íntimo  
Adúrit igne cáritas,  
Qua Christus ad cæléstia  
Pios benígnum évehit.

Regína mundi pérvigil  
Amáncer adstat filiis,  
Astus retúndens hóstium  
Opem salútis cónferens.

Jesum et Paréntem fér-  
vidis

Conrádus effert láudibus:  
Dulcísque amóris vínculo  
Illis perénne júngitur.

Cæli potítus gáudiis  
Hymnos beátos cónci-  
nens,

Nobis, precámur, ímpe-  
tret

Divína felix múnera.

Erróris umbras finibus  
Nostris repéllat próvidus:  
Cohors sacráta Vírgini,  
Christi gerámus prália.

Pacis sub alis cándidæ  
Vitam trahéntes éxsules,

In pátria tandem Deum  
Laudémus omni témpore.

¶ Sequens Conclusio num-  
quam mutatur.

Jesu, tibi sit glória,  
Divína proles Vírginis,  
Qui per Mariam sérvulo  
Tot contulisti múnera.  
Amen.

¶ Ora pro nobis, beáte  
Conráde, allelúja. **R.** Ut  
digni efficiámur promi-  
sionibus Christi, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Ecce,  
vir sanctus \* in opéribus  
suis et honorábilis in se-  
nectúte sua, fáciens ele-  
mósynas multas plebi et  
déprecans Deum semper,  
allelúja.

## Oratio

**D**eus, qui misericórdia  
tuæ jánuam fidélibus  
patére voluísti: te súpli-  
ces exorámus; ut, inter-  
cedente beáto Conrádo  
Confessóre tuo, tempo-  
rália subsidia nobis tri-  
buas et æténa. Per Dó-  
minum nostrum.

Et fit Commemoratio S. An-  
selmi:

**Ant.** Euge, serve bone  
et fidélis, quia in pauca  
fuísti fidélis, supra multa  
te constitúam, dicit Dó-  
minus, allelúja.



**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

**Oratio**

Deus, qui pópulo tuo aetérnæ salutis beátum Ansélmum minístrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

IN II VESPERIS

**Capit.** Beátus vir, ut supra 24\*.

**Hymnus**

**C**hriste, virtútum decórans coróna,  
Luce divína réfoves cliéntes,

Ardua ut cæli téneant per ævum  
Sóspite cursu.

Te pium sancto vénerans amóre  
Príncipem pacis, sápiens seréna  
Fronte Conrádus bona cuncta spernit  
Illita fucis.

Dura perpéssus, fidei supérnæ  
Víribus perstat, válidam requírens

In tuo solum, velut arce firma,  
Corde salútem.

Ejus in nobis méritis viréscens

Stet fides semper, colúménque rebus  
Spes in advérsis, et amóris almi  
Vívida virtus.

Sit decus Patri, genitæque Proli,  
Et tibi, compar utriúsque virtus,  
Spíritus semper, Deus unus, omni  
Témporis ævo.  
Amen.

**V.** Ora pro nobis, beáte Conráde, allelúja. **R.** Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Caritáte fraternitátis \* dilexit, necessitatibus páuperum communicávit, misértus est in hilaritáte; ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, allelúja.

**Et fit Commemoratio sequentis:**

**Ant.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et aetérnitas témporum, allelúja.

**V.** Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

### Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátos Sotérem et Cajum Mártýres tuos atque Summos Pontífices perpétua protectióne custódi, quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio S. Anselmi:**

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Anselme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

### Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Anselmum místrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Die 27 Aprilis

S. PETRI CANISII

Conf. et Eccl. Doct.

Duplex II classis (m. t. v.)

Omnia de Comuni Conf. non Pontificis, præter ea, quæ in Breviario hac die habentur propria.

In I Vesperis omittitur Commemoratio præcedentis.

In I Nocturno dicuntur Lectiones Sapiéntiam, de Comuni Doctorum.

In II Vesperis fit Commemoratio sequentis tantum.

Sabbato

primo mensis Maji

IN SOLLEMNITATE  
B. MARIE VIRGINIS  
PATRONÆ BAVARIÆ

Duplex I classis

Omnia de Comuni Festorum B. M. V., præter ea, quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

**Ant. 1** Domináre, \* Virgo potens, in médio pópuli patrocínio tuo confidéntis, allelúja.

**2** Habitáre fecit \* omnípotens Deus Virgínam Patrónam in terra nostra, Matrem filiórum lætántem, allelúja.

**3** Fiat pax, \* Dómina nostra, in virtúte tua et abundántia in túrribus tuis, allelúja.

4 Ecce, \* Virgo Mariá,  
heréditas tua: filii jucún-  
do corde tibi devóti, alle-  
lúja.

5 Confortávit \* Dómi-  
nus seras portárum tuá-  
rum et benedíxit filiis tuis  
in te, allelúja.

Capit. Eccli. 24, 14

Ab iníitio et ante sácula  
Acreáta sum, et usque  
ad futúrum sáculum non  
désinam, et in habitatió-  
ne sancta coram ipso mi-  
nistrávi.

Prima stropha sequentis  
Hymni dicitur flexis genibus.

### Hymnus

Ave, maris stella,  
Dei Mater alma,  
Atque semper Virgo,  
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave  
Gabriélis ore,  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,  
Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,  
Inter omnes mitis,  
Nos, culpis solútos,  
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,  
Iter para tutum,  
Ut, vidéntes Jesum,  
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spirítui Sancto,  
Tribus honor unus. Amen.

V. Ora pro nobis, sanc-  
ta Patróna Baváriæ, alle-  
lúja. R. Ut digni efficiá-  
mur promissionibus Chri-  
sti, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce,  
Mariá \* erat spes nostra,  
ad quam confúgimus in  
auxílium, ut liberáret nos,  
et venit in adjutórium no-  
bis, allelúja.

### In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. Bene-  
dicant te, \* Patróna cle-  
mentíssima, omnes gene-  
rationes: quia fecit tibi  
Dóminus magna, qui po-  
tens est, allelúja.

### Oratio

Deus, qui dilécti Fílii  
tui Genetrícem nobis  
Matrem ac Patrónam dare  
dignátus es: concéde pro-  
pítius; ut sub hujus Ma-  
tris tutéla ab omni hó-  
stium defendámur incúr-  
su, et sine timóre in sanc-  
titáte et justítia tibi ser-  
viámus. Per eúndem Dó-  
minum nostrum.

## AD MATUTINUM

**Invitat.** Christum Regem adorémus \* Et Mariam collaudémus, piam nostram Dóminam, allelúja.

**Ps. 94** Veníte, exsultémus.

**Hymnus**

**S**upérni Sponsa Fláminis,  
Propitiátrix hóminis,  
María, Virgo régia,  
Plena laudáris grátia.

Compésce carnis fómitem

Hostisque sævi rábiem;  
Terréna da despícere,  
Supérna concupíscere.

Baváriæ præsidium;  
Da robur, fer auxiliium;  
De cælis rora grátiam  
In tuam hanc familiam.

Constríngenos suávis  
Tuis, Mater, ampléxibus;  
Nos redde gratos Filio  
Sanctóque reple gáudio.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spí-  
ritu,

In sempitérna sácula.

Amen.

**In I Nocturno**

**Ant.** Tu refúgium nostrum, \* tu auxiliátrix nostra, Virgo María: ora pro nobis Dóminum, allelúja.

¶ Sub qua sola Antiphona dicuntur Tempore Paschali tres Psalmi hujus Nocturni.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna, allelúja.

De Parábolis Salomónis

**Lectio i Prov. 2, 10-15**

**S**i intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimæ tuæ placúerit: consílium custódiét te, et prudéntia servábit te, ut eruáris a via mala, et ab hómine, qui perversa lóquitur, qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas: qui lætántur cum malefécerint, et exsúltant in rebus péssimis: quorum viæ perversæ sunt, et infámes gressus eórum.

**R.** Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, \* Dedi suavitátem odóris, allelúja. **V.** Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. **Dedi.**

**Lectio ii Prov. 3, 21-26**

**F**ili mi, ne éffluent hæc ab óculis tuis. Custódi legem atque consílium: et erit vita ánimæ tuæ, et grátia fáucibus tuis. Tunc ambulábis fiduciáliter in

via tua, et pes tuus non impinget: si dormieris, non timébis; quiesces et suavis erit somnus tuus. Ne páveas repentinó terrore, et irruéntes tibi poténtias impiórum. Dóminus enim erit in látere tuo, et custódiét pedem tuum, ne capiáris.

**R.** Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? \* Vidérunt eam filia Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudavérunt eam, allelúja. **V.** Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

**Lectio iii** Prov. 8, 12-17

**E**go sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsus cogitatióibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérunt. Per me príncipes ímperant et poténtes decérunt justítiam. Ego diligéntes me díligo: et qui mane vigilant ad me, invénient me.

**R.** Ornátam monilibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: \* Et vidéntes eam filia Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: \* Unguéntum effúsum nomen tuum, allelúja. **V.** Astítit regina a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. **Et. Glória Patri. Unguéntum.**

**In II Nocturno**

**Ant.** Ad te, sancta Dei Génatrix, \* clamávimus, et per te venit Dómini auxiliúm nobis, allelúja.

¶ Sub qua sola Antiphona dicuntur Tempore Paschali tres Psalmi hujus Nocturni.

**V.** Adjuvábít eam Deus vultu suo, allelúja. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur, allelúja.

**Lectio iv**

**B**avariæ regiónés, quarum, teste ipso Summo Pontífice Pio séptimo, nullæ florentióres ob cathólicæ religiónis stúdi-um in orbe terrárum fuérunt, jam antíquitus singulári quadam erga beatíssimam Vírginem Mariam devotióne excellébant. Cujus rei documénta sunt perantíqua ecclési-  
sia Augustána, ecclési-

metropolitána Monacénsis, ecclésia cathedrális Spirénsis permúltaque ália et in antíquis et in recéntibus Baváriæ pártibus templa et sanctuária Mariána, sive venerábili antiquitáte conspicua, sive continúa peregrinántium frequentatióne celebérrima. Idem testántur sodalitatés vel congregatiónes sub ejúdem gloriósæ Virginis præsidio institúta ac státuæ et imágines Mariánæ ubilibet piæ fidélium veneratióni propósitæ in fróntibus domórum, in platéis et cómpitis, juxta agros et campos, inter obsúra silvárum et super cacúmina móntium.

**R.** Sub tuum præsidium confúgimus, sancta Dei Génatrix; nostras deprecatiónes ne despicias in necessitatibus: \* Sed a pericúlis cunctis libera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta, allelúja. **V.** Regína mundi et pátriæ Patróna digníssima, intercède pro nostra pace et salúte. **Sed.**

**Lectio v**

**C**ultus istíus Mariáni fautóres exstiterunt præcipui Baváriæ duces

ac príncipes. Alii jam inde ab ævo médio monastéria quædam celebérrima sub invocatióne et nómine beátæ Mariæ Virginis dedicavérunt et munificéntia vere régia locupletavérunt, álii Matrem perdoléntem sive Virginem sine mácula concéptam pie venerádo súbditis suis præclára exémpia dedérunt. Capéllam præsertim régiam Ettingánam, in qua ab antiquíssimis jam tempóribus státua thauematúrge Deiparæ Virginis impénse cólitur, piis et pretiósissis munéribus cumuláre ibique preces ex ánimo fúndere solébant. Quin étiam post mortem, máximi amóris vínculis cum Patróna augustíssima conjúctos se esse pie profítebántur córdibus suis urnis argénteis inclúsis et in ipso sanctuário illo Mariáno recónditis.

**R.** Beáta es, María, Mater Christi, quia ex te mundi salus advénit, et gloriósa fulges ante Dóminum. \* Quaprópter ora pro tuis fámulis ad Salvatórem nostrum ac Fílium tuum, allelúja. **V.** Sancta María Virgo, in-

tercède pro his, qui nostræ patriæ regimini præsunt, quæ genuisti Regem orbis. Quapropter.

### Lectio vi

**Q**uibus aliisque documentis luculenter apparet, regiones Baváricas titulum insignem regni Mariáni jure promereri. Quod aperte significávit Maximiliánus eléctor primus, qui in fronte palátii sui novi státuam Mariánam titulo „Patróna Boiáriæ“ insignítam dedicávit ac póstea, cum ejúsdem cæléstis Patrónæ intercessióne præcláram victóriam reportásset, grata memória álteram státuam in foro público erigéndam curávit in honórem beátæ Mariæ Virgínis, quam verbis et scriptis Bóicam Dóminam salutávit. Ex ea ætáte titulus beátæ Mariæ Virgínis Patrónæ Baváriæ tantam auctoritátem obtínuit, ut nummis et monuméntis públicis frequénter impóni incíperet. Ludovíci demum tertii, Regis, qui jam, priúsqvam regno potirétur, Ettíngæ sollémnem cathólicæ fidei et pietátis erga beatíssimam Virgínem professió-

nem palam édere non dubitáverat, précibus peramánter ánnuens, Benedictus Papa décimus quintus immáni bello per Európam grassánte, eándem Virgínem Mariám totíus Baváriæ principálem apud Deum Patrónam suprema sua auctoritáte constituit ejúsque sub eódem título sollempnitátem in cunctis Baváriæ diecésibus cum Officio et Missa própriis sub ritu dúplici primæ classis celebrándam concéssit.

**R.** Quasi arcus refúlgens inter nébulas et quasi flos rosárum in diébus vernis et quasi lília in tránsitu aquæ: \* Sic fulget Virgo immaculáta, allelúja. **V.** Arcum meum ponam in núbibus et erit signum fœderis mei vobiscum. **Sic. Glória Patri. Sic.**

### In III Nocturno

**Ant.** Non recédât \* laus tua, Virgo María, de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, pro quibus non pepercísti ánimæ tuæ, allelúja.

**¶** Sub qua sola Antiphona dicuntur Tempore Paschali tres Psalmi hujus Nocturni.

**V.** Elégit eam Deus, et præelégit eam, allelúja.  
**R.** In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúja.

Lectio sancti Evangélii  
 secúndum Joánnem

**Lectio vii Cap. 2, 1-11**

**I**n illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi  
 Abbátis

**Sermo de spiritualibus núptiis**

**H**ic nonnúmquam vinum déficit, grátia scilicet devotiónis et fervor caritátis. Quóties mihi necesse est, fratres, post lacrimósas querimónias vestras exoráre Matrem misericórdiæ, ut súggerat suo benigníssimo Filio, quóniam vinum non habeátis? Et ipsa, dico vobis, caríssimi, si pie a nobis pulsáta fúerit, non déerit necessitati nostræ, quóniam miséricors est et Mater misericórdiæ; nam si compássa est verecúndia illórum, a quibus fúerat invitáta, multo magis compatiétur nobis, si pie fúerit invocáta.

**R.** Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: \* Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus, Deus noster, allelúja. **V.** Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuum sanctum patrocínium. **Quia.**

**Lectio viii**

**S**ed quem non móveat, quod in núptiis illis respóndit Dóminus benigníssime sanctíssimæ Matri suæ, dicens: Quid mihi et tibi est, múlier? Quid tibi et illi est, Dómine? Nonne, quod filio et matri? Quid ad illam pértines, quæris, cum tu sis benedíctus fructus ventris ejus immaculáti? Nonne ipsa est, quæ, salvo pudóre, concépit et sine corruptiône te péperit? Nonne ipsa est, in cujus útero novem ménsibus morátus es, cujus virgíneis ubéribus lactátus es, cum qua jam duódecim annórum factus, de Jerúsalem descendisti et eras súbditus illi? Nunc ergo, Dómine, quid moléstus es illi, dicens: Quid



mihî et tibi? Multum per omnem modum.

**R.** Erit in novissimis diëbus mons præparatus Virgini Mariæ in vértice móntium et elevábitur super cælos, et ibunt pópuli multi et dicent: \* Veníte, et ascendámus ad montem, allelúja. **V.** Sicut lætántium ómnium habitátió est in te. Veníte. Glória Patri. Veníte.

**Lectio ix**

**S**ed manifeste jam vídeo, quod non velut indignans aut confundere volens Virgini Matris téneram verecúndiam dixeris: Quid mihi et tibi: cum, veniéntibus ad te juxta Matris præcéptum ministris, nihil cunctátus, fácias, quod illa suggésit. Ut quid ergo, fratres, ut quid sic respondébat prius? Utique propter nos, ut convérsos ad Dóminum jam non sollicitet carnálium cura paréntum, et necessitúdines illæ non impédiant exercítium spirituále. Quámdu enim de mundo sumus, debitóres nos constat esse paréntibus; at postquam reliquimus nosmetípsos, multo magis ab eórum sollicitú-dine líberi sumus. Opti-

me ergo nos dócuit Dóminus, ne solliciti simus super propínquis carnis nostræ plus quam religio póstulet, quando ipsi Matri et tali Matri, respóndit: Quid mihi et tibi est, múlter?

Te Deum laudámus.

**AD LAUDES**

**et per Horas**

**Ant. 1** Paráta, \* Regina cælórum, sedes tua ex tunc: patrocínio tuo firmávit Dóminus terram nostram, allelúja.

**Psalmi de Dominica 1 loco.**

**2** Pópulum suum \* Dóminus et oves páscluæ suæ pósuit sub tua tutéla, victrix serpéntis antiqui, allelúja.

**3** In velaménto \* protectiónis tuæ exsultá-bimus, Virgo gloriosíssima: nos suscepit déxtera tua, allelúja.

**4** Benedícant te \* omnes una voce dicéntes: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúja.

**5** Reges terræ \* et omnes pópuli, senes cum junióribus laudent nomen tuum, dulcíssima Dei Génetrix María, allelúja.

**Capit. Eccli. 24, 14**

**A**b initio et ante sæcula  
creata sum, et usque  
ad futurum sæculum non  
desinam, et in habitati-  
one sancta coram ipso mi-  
nistravi.

**Hymnus**

**A**urora soli prævia,  
Felix salutis nuntia,  
In noctis umbra plebs tua  
Te, Virgo, supplex invo-  
cat.

Torrens nefastis flucti-  
bus  
Cunctos trahens voragine,  
Leni residit æquore  
Cum transit Arca fœderis.

Fatâle virus évomens  
Attollit anguis vérticem;  
At tu draconis túrgidum  
Invicta cónteris caput.

Mater benigna, réspice  
Fletus precésque súpli-  
cum,  
Et dimicantes, tártari  
Victrix, tuere ab hósti-  
bus.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Vírgine,  
Cum Patre, et almo Spí-  
ritu,

In sempiterna sæcula.  
Amen.

**V.** Ora pro nobis, sanc-  
ta Patróna Bavariæ, alle-  
lúja. **R.** Ut digni efficiá-

mur promissionibus Chri-  
sti, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Glorió-  
sæ \* Vírginis Mariæ pa-  
trocinium dignissimum  
recolamus, cujus honor  
præstat beneficia populó-  
rum et oratio perdúcit ad  
regna cælórum, allelúja.

**Oratio**

**D**eus, qui dilécti Filii  
tui Genetricem nobis  
Matrem ac Patrónam dare  
dignatus es: concéde propi-  
tius; ut sub hujus Ma-  
tris tutéla ab omni hó-  
stium defendámur incúr-  
su, et sine timóre in sanc-  
titate et justitia tibi ser-  
viámus. Per eúndem Dó-  
minum.

**Ad Horas Psalmi de Domi-  
nica, ad Primam tamen ut in  
Festis.**

**AD PRIMAM**

**Ant.** Paráta, \* Regína  
cælórum, sedes tua ex  
tunc: patrocínio tuo fir-  
mávit Dóminus terram  
nostram, allelúja.

**In Responsorio brevi dicitur Versus** Qui natus es de  
Maria Vírgine.

**AD TERTIAM**

**Ant.** Pópulum suum \*  
Dóminus et oves páscuæ  
suæ pósuit sub tua tutéla,  
victrix serpéntis antíqui,  
allelúja.

**Capit.** Ab iníto, ut supra ad Laudes 34\*.

**R. br.** Spécie tua et pulchritúdine tua, \* Allelúja, allelúja. **Spécie. V.** Inténde, prospere procéde, et regna. Allelúja, allelúja. **Glória Patri. Spécie.**

**V.** Adjuvábít eam Deus vultu suo, allelúja. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur, allelúja.

AD SEXTAM

**Ant.** In velaménto \* protectionis tuæ exsultábitus, Virgo gloriosíssima: nos suscépit dextera tua, allelúja.

**Capit. Eccli. 24, 15-16**

**E**t sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctorúm deténtio mea.

**R. br.** Adjuvábít eam Deus vultu suo, \* Allelúja, allelúja. **Adjuvábít. V.** Deus in médio ejus, non commovébitur. Allelúja, allelúja. **Glória Patri. Adjuvábít.**

**V.** Elégít eam Deus, et praelégít eam, allelúja. **R.**

In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúja.

AD NONAM

**Ant.** Reges terræ \* et omnes pópuli, senes cum junióribus laudent nomen tuum, dulcíssima Dei Génatrix María, allelúja.

**Capit. Eccli. 24, 19-20**

**I**n platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

**R. br.** Elégít eam Deus, et praelégít eam, \* Allelúja, allelúja. **Elégít. V.** In tabernáculo suo habitáre facit eam. Allelúja, allelúja. **Glória Patri. Elégít.**

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

IN II VESPERIS

**Omnia ut in I Vesperis 26\*, præter:**

**V.** Ora pro nobis, ut supra ad Laudes 34\*.

**Ad Magnif. Ant.** Benedícant te, \* Patróna clementíssima, omnes generatiónes: quia fecit tibi Dóminus magna, qui potens est, allelúja.

## Die 4 Maji

## S. FLORIANI

## Martyris

## Duplex majus

**Ant.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

**V.** Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

## Oratio

**D**eus, qui nos ánnua beáti Floriáni Mártiris tui gloriósæ passiónis sollemnitéte lætíficas: sólita pietátis tuæ largitáte concéde benígnus; ut, cujus honóri célebrem triúm-phum pio amóre venerá-mur in terris, societátis ejus lætítiam adipisci te largiénte mereámur in cælis. (Per Dóminum.)

Deinde fit Commemoratio  
S. Monicæ Viduæ:

**Ant.** Símile est regnum cælórum hómini negotiátori quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

**V.** Spécie tua et pulchritúde tua, allelúja. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna, allelúja.

## Oratio

Deus, mæréntium consolátor et in te sperántium salus, qui beátæ Mónica piás lácrimas in conversióne filii sui Augustíni misericórditer suscepisti: da nobis utriúsque intervéntu; peccáta nostra deploráre, et grátia tuæ indulgéntiam inveníre. Per Dóminum nostrum.

## In II Nocturno

## Lectio iv

**F**loriánum, quem advér-sus ignium injúrias patrónum invocámus, a-quæ ad súperos transmiserunt. Dum enim Diocletiano cæsare in Nórico ripário tribúnus militáris ágeret, institúta de cristiánis quæstióne nomen suum ultro détulit.

**R.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, \*  
Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja. **V.** Læ-títia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatióne obtiné-bunt. **Et.**

## Lectio v

**A**quilínus loci præféctus fustuário primum ejus constántiam tentans, ubi Christi nomen extúndi ei

posse desperávit, in Anásum seu Anísimum flumen jussit præcipitári, cujus impia mandáta exsequens cárnifex repentinæ cæcitatís pœnas dedit. Corpus exánime appúlsum in scópulos áquila tám diu tutáta est, donec honorífice conderétur. Nam ipse Valériam religiósam féminam ad justa persolvénda córpori suo excitávit, et pietáti mercédem persólvit, salúbrimum aquárum, quas ægris bibisse prófuit, scaturígine.

**R.** In servis suis, allelúja, \* Consolábitur Deus, allelúja. **V.** Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. **Consolábitur.**

#### Lectio vi

**I**gne periclitántibus própítium esse primus ómnium carbonárius experimentó didícit: suis, quas ipse suffláverat, involútus flammis Floriánum appellávit, et íntegro córporé e rogo emérsit. Inde pósteris quoque more tráditum est, Floriáni imáginem cum urna aquária in fronte ædium dedicánda.

**R.** Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum coronis, quibus co-

ronávit eos Dóminus \* In die sollemnitátis et lætitiæ, allelúja. **V.** Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit filios tuos in te. **In. Glória Patri. In.**

**In III Nocturno Homilia in Evangelium** Ego sum vitis vera, **de Communi Martyrum Tempore Paschali 1 loco.**

**Pro S. Monica:**

#### Lectio ix

**M**ónica, sancti Augustíni piíssima mater, uxórum et viduárum exémpplar, filium Manichæum Mediolánum secúta, postquam assídus oratió nibus, lácrimis et jejúniis, ope Ambrósii epíscopi, eum Christo lucrifécit, cum ipso in Africam rediens, ad Ostia Tiberína in febrim incidit, et nono die placidíssime óbiit. De cujus morte mærens filius dísserens subdit: Neque enim decére arbitrabámur funus illud quéstibus lacrimósis gemitibusque celebráre, quia illa nec misere, nec omníno moriebátur: hoc et documéntis morum ejus, et fide non ficta rationibusque certis tenebámus. Atque inde paulátim reducébam in prístinum sensum ancillam tuam, con-

versationemque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum; et libuit flere de illa et pro illa. Et si quis peccatum invenerit flevisse me matrem oculis meis mortuam, quæ me multos annos fleverat, ut oculis suis viverem, non irrideat; sed potius, si est grandi caritate, pro peccatis meis fleat ipse ad te, Patrem omnium fratrum Christi tui. Ejus corpus, in ecclesia sanctæ Aureæ prius sepultum, postea, Martino quinto Summo Pontifice, Romam translatum, in ecclesia sancti Augustini honorifice conditum est. Te Deum laudamus.

#### AD LAUDES

**V.** Pretiosa in conspectu Domini, alleluja. **R.** Mors Sanctorum ejus, alleluja.

**Ad Bened. Ant.** Filia Jerusale, \* venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die sollemnitatis et lætitiæ, alleluja, alleluja.

#### Oratio

**D**eus, qui nos annua beati Floriani Martyris tui gloriosæ passionis sol-

lemnitate lætificas; solita pietatis tuæ largitate concede benignus; ut, cujus honori celebrem triumphum pio amore veneramur in terris, societatis ejus lætitiâ adipisci te largiente mereamur in cælis. Per Dominum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Monicæ:**

**Ant.** Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis operæ ejus, alleluja.

**V.** Diffusa est gratia in labiis tuis, alleluja. **R.** Propterea benedixit te Deus in æternum, alleluja.

#### Oratio

Deus, mærentium consolator et in te sperantium salus, qui beatæ Monicæ pias lacrimas in conversione filii sui Augustini misericorditer suscepisti: da nobis utriusque interventu; peccata nostra deplorare, et gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum nostrum.

**Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis, S. Pii V et S. Monicæ.**

Die 5 Maji

S. GODEHARDI

Episcopi et Confessoris

Duplex majus

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stolam glória induit eum, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Sacérdos et Póntifex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

**D**eus, qui hodiérnam diem in beáti Godehárdi Confessoris tui atque Pontíficis festivitáte nobis honorábilem fecisti: præsta, quæsumus; ut, cujus celebritáte ánnua exsultámus, ejus suffrágiis adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio præcedentis:**

**Ant.** Sancti et justí, in Dómino gaudéte, allelúja: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

**V.** Pretiósá et Oratio Deus, qui nos ánnua, ut supra 38\*.

**Deinde Commemoratio S. Pii V Papæ et Conf.:**

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: sto-

lam glória induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínium cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem Máximum elígere dignátus es: fac nos ipsíus deféndi præsiidiis, et ita tuis inhærére obséquiiis; ut, ómnium hóstium superátis insidiis, perpétua pace lætémur. (Per Dóminum nostrum.)

**Postea Commemoratio S. Monicæ:**

**Ant.** Manum suam apéruit inopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otíosa non comédit, allelúja.

**V.** Diffúsa et Oratio Deus, mæréntium, ut supra 38\*.

In II Nocturno

Lectio iv

**P**ræclára índole puer Godehárdus in Bavária, juxta monastérium Altahénse, paréntibus christiánis natus, in idem

monastérium litterarum disciplinis erudiendus traditur. Ubi in sacris studiis simul et pietate tantos progressus fecit, talisque se exhibuit, ut non modo sacris ordinibus initiari, sed etiam in ejusdem monasterii pastorem et abbatem communi fratrum consensu eligi meruerit. Sic vero monasterio in sanctitate et justitia Deo serviens praeiuit, ut et exactissimam religiose vivendi normam in se exprimeret, et vigiliarum, orationum, jejuniorum frequentia et assiduitate, magnaque vitae austeritate cunctis admirando exemplo esset.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluja. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. **Manus.**

#### Lectio v

**H**ac vitae ratione ac monastica disciplina reformandae studio, non tantum suum monasterium, sed etiam Heresfeldense, Degerense et Cremense, quorum cura ei incumbēbat, ad sancti in-

stituti perfectam observationem revocavit. Sanctitatis igitur ejus fama longe lateque diffusa, Godehardus a sancto Henrico imperatore ad regimen Hildesheimensis ecclesiae vocatur. At ille diu multumque renitens, tandem manifestae divinae vocationi obsequens, ejusdem ecclesiae episcopus constituitur. Quanta tum ejus sanctitas enituerit, mira opera, quae Deus per eum edere dignatus est, satis declarant.

**R.** Posui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluja. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

#### Lectio vi

**E**xacto vitae curriculo, in vigilia Ascensionis Domini, quam vitae suae terminum fore praedixerat, sacro oleo prius unctus, media nocte, cum a fratribus in matutinis laudibus versus cantici Zachariae caneretur: Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, vir sanctus, in extremo jam mortis agone



desúdans sublátis ægre óculis subjúnxit: Ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis, clero vero Glória Patri et Antíphonam: Ascéndo ad Patrem meum, concinénte, felicíssima ánima ad cælos migrávit. Sepúltus in æde primária Hildesheiménsi multis ibidem claret miraculis.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédât pro peccátis ómnium populórum, allelúja. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigiláte, de Comuni Confessoris Pontificis 2 loco.

Pro S. Pio V Papa et Conf.:

### Lectio ix

**P**ius, Boschi in Insúbria natus, cum quatuórdecim esset annórum, órđinem Prædicatórum ingræssus est. Sacerdótio auctus, sacras contiónes plúribus in locis cum ingénti animárum fructu hábit. Inquisitóris officium

diu fórtiter ac laudabiliter sustínuit, et a Paulo quarto ad Nepesínium et Sutrínium episcopátum promotus, post biénnum inter patres cardinales adscríptus est. A Pio quarto translátus ad ecclésiám Montis Regális in Subalpínis, diocésim vísitans, abúsus représsit; et, Romam revérsus, in gravíssimis negótiis expediéndis fuit occupátus. Mórtuo autem Pio, præter ómnium exspectatió-nem eléctus Póntifex, nihil in vitæ ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit. Selímum Turcárum tyránum, ingénti comparáta classe, ad Echí-nadas ínsulas non tam armis quam fuis précibus devícit. Dum vero novam in ipsos Turcas expediti-ó-nem paráret, piússime óbiit in Dómino, anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, ætátis suæ sexagésimo octávo. Corpus ejus in basilica sanctæ Mariæ majóris summa fidélium venerati-ó-ne cólitur. Eum Clemens Papa undécimus catálogo Sanctórum adscrípsit.

Te Deum laudámus.

## AD LAUDES

**V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, dicit Dóminus, allelúja.

## Oratio

**D**eus, qui hodiérnam diem in beáti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte nobis honorábilem fecísti: præsta, quæsumus; ut, cujus celebritáte ánnua exsultámus, ejus suffrágiis adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Pii V:**

**Ant.** Sacerdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stulam glóriæ induit eum, allelúja.

## Oratio

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divinum cultum re-

parándum, beátum Pium Pontíficem Máximum elígere dignátus es; fac nos ipsíus deféndi præsídiis, et ita tuis inhærere obséquiiis; ut, ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur. Per Dóminum nostrum.

## IN II VESPERIS

**V.** Justum, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Amávit eum Dóminus, \* et ornávit eum: stulam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

**Et fit Commemoratio sequentis:**

**Ant.** In fervéntis óleí dólium missus beátus Joánnes Apóstolus, divína se protegénte grátia, illæsus exívit, allelúja.

**V.** Sancti et justí, in Dómino gaudéte, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

## Oratio

Deus, qui cónspicis, quia nos úndique mala nostra pertúrbant: præsta, quæsumus; ut beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelistæ intercéssio gloriósa nos prótegat. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio S. Pii V:

**Ant.** Dum esset Summus Póntifex, terréna non méruit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit, allelúja.

**V.** Amávit et Oratio Deus, qui ad conteréndos, ut supra 42\*.

Die 16 Maji

S. JOANNIS  
NEPOMUCENI

Martyris

Duplex majus

IN I VESPERIS

**Ant. 1** Interrogábat eum \* rex multis sermónibus: at ipse nihil illi respondébat, allelúja.

**Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum.**

**2** Rex dixit: \* Ne abscondas a me verbum, quod te intérogo. Dixi: Secrétum meum mihi, secrétum meum mihi, allelúja.

**3** Affirmábat rex \* se divitem et beátum factúrum. Non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis, allelúja.

**4** Tunc rex, accénsus ira, \* in hunc super omnes crudélius desæviit, allelúja.

**5** Beátus, \* qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se, allelúja.

**Capit. Eccli. 21, 28-29**

**L**ábia imprudéntium stultata narrábunt, verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore factuórum cor illórum, et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus

**I**nvictus heros Núminis,  
Mergéndus unda flúminis,

Stat fortis in siléntio,  
Dum fit sigílli méntio.

Hinc rex mináitur fúnera,  
Hinc tortor infert vúlnera,  
Manus ligántur fúnibus,  
Artus cremántur ígnibus.

Sed hæc Joánnes déspicit,

Nec regis iram réspicit,  
Secréta non vult pándere,  
Horret sigíllum frángere.

Stat mutus agnus ínno-

cent,  
Nil de tegéndis próferens:  
Stat; dumque rex nil élic-

cit,

E ponte justum déjicit.

Præceps ab alto stérnitur,  
Undis profúndis mérgitur:

Mersum sed applaudéntibus  
Undæ salútant ígnibus.

Stellæ natant in flúmine,  
Illi paréntant lúmine:  
Docétque cæli cláritas,  
Quæ sit Joánnis caritas.

Da, sempitérna Trínitas,

Ut in bono sit firmitas:  
Aut lacrimárum flúmina  
Mergant cadéntum crímina. Amen.

**V.** Sacraméntum regis  
abscóndere bonum est,  
allelúja. **R.** Opera autem  
Dei reveláre honoríficum,  
allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Dedit  
mihi \* Dóminus linguam  
mercédem meam: et in  
ipsa laudábo eum, alle-  
lúja.

#### Oratio

**D**eus, qui ob invíctum  
beáti Joánnis sacra-  
mentále siléntium nova  
Ecclésiám tuam martýrii  
coróna decorásti: da; ut,  
ejus exémplo et interces-  
sione ori nostro custó-  
diam ponéntes, beátis,  
qui lingua non sunt lapsi,  
annumerémur. Per Dómi-  
num nostrum.

**Et fit Commemoratio præ-  
cedentis:**

**Ant.** Hic vir despiciens  
mundum et terréna, tri-

úmphans, divítias cælo  
cóndidit ore, manu, alle-  
lúja.

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas, al-  
lelúja. **R.** Et osténdit illi  
regnum Dei, allelúja.

#### Oratio

Deus, qui, ad christiá-  
nam páuperum eruditio-  
nem et ad juvéntam in via  
veritátis firmándam, sanc-  
tum Joánnem Baptistam  
Confessórem excitásti, et  
novam per eum in Ecclé-  
sia familiam collegisti:  
concéde propítius; ut, ejus  
intercessione et exémplo,  
stúdio glóriæ tuæ in ani-  
márum salúte fervéntes,  
ejus in cælis coronæ par-  
ticipes fieri valeámus.  
(Per Dóminum nostrum.)

Deinde S. Ubaldi Ep. et  
Conf.:

**Ant.** Sacérdos et Pónti-  
fex, et virtútum ópifex,  
pastor bone in pópulo,  
ora pro nobis Dóminum,  
allelúja.

**V.** Amávit eum Dómi-  
nus, et ornávit eum, alle-  
lúja. **R.** Stolum glóriæ ín-  
duit eum, allelúja.

#### Oratio

Auxílium tuum nobis,  
Dómine, quæsumus, pla-  
cátus impénde: et, in-

tercessiōne beāti Ubaldi  
Confessōris tui atque  
Pontificis, contra omnes  
diāboli nequitiās dēxte-  
ram super nos tuæ propi-  
tiationis extēde. Per Dō-  
minum nostrum.

Completorium de Feria.

AD MATUTINUM

**Invit.** Exsultent in Dō-  
mino Sancti, \* Allelūja.

**Ps. 94** Venite, exsulté-  
mus.

**Hymnus**

**I**n profūnda noctis um-  
bra

Et gravi caligine

Lustrat ædem flamma  
munda,

Sic jubente Nūmine.

Nocte nascitur Joānes,  
Astra cælo dévolant:

Nocte mērgitur Joānes,  
Astra funus apparant.

Hinc cor ejus igne fla-  
grans

Fortis urit caritas:

Hinc ab ejus ore manans  
Mira prodit suāvitas.

Nunc amore cor bonó-  
rum

Ad salutem pértrahit:

Nunc timóre cor malórum  
A gehēna rétrahit.

Páuperes solátur ære,

Derelictis súbvenit:  
Non sinit justos jacere:  
Damna famæ præpedit.

Per Joānis sanctitatem,  
O beāta Trinitas,  
Mentibus da puritatem,  
Corde regnet caritas.  
Amen.

**In I Nocturno**

**Ant.** Erit lumen Israel  
in igne; et Sanctus ejus in  
flamma, allelūja.

**Psalmi trium Nocturnorum  
de Communi unius Martyris.**

**V.** Sacramentum regis  
abscōndere bonum est,  
allelūja. **R.** Opera autem  
Dei revelare honorificum,  
allelūja.

De libro Ecclesiastici

**Lectio i Cap. 21, 26-31**

**S**tultus a fenestra respi-  
ciet in domum: vir au-  
tem eruditus foris stabit.  
Stultitia hóminis auscul-  
tare per óstium: et pru-  
dens gravabitur contu-  
mélia. Lábia imprudén-  
tium stulta narrábunt:  
verba autem prudéntium  
statéra ponderabúntur. In  
ore fatuórum cor illórum:  
et in corde sapiéntium os  
illórum. Dum maledícit  
impíus diábolum, maledí-  
cit ipse ánimam suam.  
Susúrro coinquinábit áni-  
mam suam, et in ómnibus  
odiétur: et qui cum eo  
mánsert, odiósus erit:

tácitus et sensátus honorábitur.

**R.** Metuébat rex Joánem, \* Sciens eum virum justum et sanctum, allelúja. **V.** Et custodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. **Sciens.**

**Lectio ii Cap. 28, 21-25**

**F**lagéli plaga livórem facit: plaga autem linguæ commínet ossa. Multi cecidérunt in ore gládi, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Beátus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracúndiam illíus non transívit, et qui non attráxit jugum illíus, et in vínculis ejus non est ligátus: jugum enim illíus, jugum férreum est: et vínculum illíus, vínculum æreum est. Mors illíus, mors nequíssima: et útilis pótius inférnus quam illa.

**R.** Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace et in æquitáte ambulávit mecum: \* Et multos avértit ab iníquitáte, allelúja. **V.** Lábia enim sacerdotís custódiént sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus. **Et.**

**Lectio iii Cap. 28, 26-30**

**P**erseverántia illíus non permanébit, sed obtinébit vias injustórum: et in flamma sua non combúret justos. Qui relínquunt Deum, incident in illam, et exardébit in illis, et non exstinguétur, et immittétur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácto óstia, et seras. Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácto statéram, et frenos ori tuo rectos: et atténde ne forte labáris in lingua, et cadas in conspéctu inimicórum insidiántium tibi, et sit casus tuus insanábilis in mortem.

**R.** Sepívi aures meas spinis, \* Et ori meo feci óstia et seras, allelúja. **V.** Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se. **Et. Glória Patri. Et.**

**In II Nocturno**

**Ant.** Non quæsívit a Dómino ducátum, neque a rege cáthedram honorís, allelúja.

**V.** Pone, Dómine, custódiám ori meo, allelúja. **R.**

Et óstium circumstántia  
lábiis meis, allelúja.

#### Lectio iv

**J**oánnes Nepomúci Bo-  
hémiaé óppido, unde  
Nepomucéni cognómen  
duxit, a paréntibus ætáte  
provéctis, non sine futú-  
ræ sanctitátis præságio,  
flammis super nascéntis  
domum mirábiliter collu-  
céntibus, ortus est. Cum  
infans in gravem morbum  
incidisset, beátæ Virginis  
ope, cui natum paréntes  
referébant accéptum, e  
vitæ periculo evásit incó-  
lumis. Egrégia índole,  
piáque institutióne calé-  
stibus indiciis obsequén-  
te, inter sanctas religio-  
sásque exercitatiónes pue-  
ritiam egit; nam ecclé-  
siam frequénter adire, ac  
sacerdótibus ad aras ope-  
rántibus ministráre, in  
deliciis habébat. Zatécii  
politióribus lítteris ad hu-  
manitátem informátus,  
Pragæ vero gravióribus  
disciplínis excúltus, phi-  
losóphiæ, theológiæ sa-  
crorúmque cánonum ma-  
gistérium et láuream emé-  
ruit. Sacerdótio initiátus,  
atque a sciéntia Sanctó-  
rum ad lucra animárum  
rite comparátus, ministé-  
rio verbi Dei se pénitus

addíxit. Cum ígitur in ví-  
tiis exstirpándis, et revo-  
cándis in viam salútis er-  
rántibus, eloquéntiæ et  
pietátis úberes éderet  
fructus, inter canónicos  
metropolitánae ecclésiæ  
Pragénsis cooptátus, mox  
sibi demandátam Evan-  
gélii coram rege Wences-  
láo quarto prædicánda  
provinciam suscepit, eo  
succéssu, ut Joánnis suá-  
su multa rex fáceret, mag-  
nóque in honóre virtútes  
ejus habéret. Conspícuas  
tamen, quas ille óbtulit  
dignitátes, Dei servus, ne  
a divini verbi præcónio  
avocarétur, constantíssi-  
me recusávit.

**R.** Instans oratióni et  
ministério verbi, hortabá-  
tur omnes in propósito  
cordis permanére in Dó-  
mino: \* Quia erat vir bo-  
nus, et plenus Spíritu  
Sancto, allelúja. **V.** Et  
apponebátur multa turba  
Dómino. **Quia.**

#### Lectio v

**R**égiis illum eleemósy-  
nis in páuperes ero-  
gándis præfécum, Joán-  
na regína consciéntiæ sibi  
moderatórem ascívit. Cum  
autem Wencesláus ab of-  
ficio institutóque deces-  
sisset, atque in vítia præ-

ceps abriperétur, piæ autem cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli iudicio sacerdoti crédita reginæ arcána sibi a Joáinne panderéntur. At Dei minister blanditiis primum, tormentis deinde et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditati fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Wencesláii ánimum cum ab exsecrándo propósito nec humana nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in contióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Bolesláviám proféctus, ad beátæ Virgínis imáginem antíquo cultu célebrem, cæléste præsidium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde vespere reverténtem in pervigílio Domínicæ Ascensiónis rex e fenéstrea conspicátus arcessit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pegeret, submersiónem intentáret, Joáannes invícta constántia terrores minás-

que refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfuens noctu dejéctus, illústrem mártýrii corónam est consecútus.

**R.** Dispérsit, dedit pauperibus: \* Justítia ejus manet in sáeculum sáeculi, allelúja. **V.** Beátus, qui intélligit super egénum et páuperem. **Justítia.**

#### Lectio vi

**S**acrilegum fácinus clam patrátum, et Mártýris glóriam insigne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurrentes apparuérunt. Quam ob rem ex aréna postrídie mane corpus elátum, canónici deinde, regis iram nihil tíméntes, in metropolitánam ecclésiám solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti sacerdotis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum præcípue qui fama periclitántur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius trecéntos, in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo tándiu jacúerat, lingua



ejus incorrupta et vívida reperta est: quæ sexto post anno iudicibus a Sede Apostólica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, et subobscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque aliisque signis rite probatis, Benedictus decimus tertius Pontifex Máximus die décima nona mensis Mártii, anno salutis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc sacramentalis sigilli assertorem, arcáni fidem sanguine obsignantem, sanctorum Mátyrum catálogo adscripsit.

**R.** Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi: \*Propter quod vigilate, allelúja. **V.** Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. **Propter. Glória Patri. Propter.**

### In III Nocturno

**Ant.** Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, allelúja.

**V.** Dixi: Custodiam vias meas, allelúja. **R.** Ut non delinquam in lingua mea, allelúja.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

### Lectio vii Cap. 11, 2-10

**I**n illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis ópera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia  
sancti Gregórii Papæ

### In Evangelium Homilia 6

**D**imissis Joannis discipulis, quid de eodem Joanne turbis dicat audiamus. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem nisi carnalis ánimus designatur? Qui mox ut favore vel detractiõne tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit et extollitur: Sed si inde ventus detractiõnis eruperit, unde aura laudis veniebat, mox hunc quasi in partem alteram ad vim furoris inclinat.

**R.** Cum corripérétur ab illo de ómnibus malis, quæ fecit rex, adjécit et hoc: \* Et inclúsit Joán-nem in cárcere, allelúja. **V.** Labóro usque ad vín-cula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. **Et.**

### Lectio viii

**S**ed arúndo agitáta ven-to Joánes non erat: quia hunc nec blandum grátia, nec cújuslibet de-tractionis ira ásperum faciébat: nec próspéra hunc erigere, nec advér-sa nóverant inclináre. Arúndo ergo vento agi-táta non erat, quem ab status sui rectitúdine nul-la rerum varietas inflec-tébat. Discámus ergo, fratres caríssimi, arúndi-nem vento agitátam non esse: solidémus ánimum inter auras linguárum pó-situm: stet inflexibilis sta-tus mentis. Nulla nos de-tráctio ad iram próvocet, atque ad remissionem in-útilis grátia nullus favor inclinét. Non nos próspe-ra élevant, non advér-sa pertúrbent: ut, qui in so-liditáte fidei figimur, ne-quáquam rerum transe-úntium mobilitáte move-amur.

**R.** Réddidit Deus justo mercédem labórum suó-rum, et dedúxit illum in via mirábili: \* Et fuit illi in velaménto diéi, et in luce stellárum per noc-tula, allelúja. **V.** Trans-véxit illum per aquam ní-miam; inimícos autem il-lius demérsit. **Et. Glória Patri. Et.**

### Pro S. Ubaldo:

### Lectio ix

**U**báldus, Eugúbii in Umbria nóbili géne-re natus, a primis annis pietáte et lítteris egrégie est institútus; jamque aduléscens, ut uxórem dú-ceret, sæpe tentátus, num-quam tamen a propósito servándæ virginitátis re-céssit. Sacérdos efféctus, patrimónium suum pau-péribus et ecclésiis distri-buit. Canonicórum regu-lárium órdisin sancti Au-gustíni institútum suscí-piens, illud in pátriam tránstulit. Ab Honório secúndo Summo Pontífice ecclésiæ Eugubínæ invítus præficitur, et epi-scopális consecratiónis múnere decorátur. Factus forma grégis ex ánimo, de consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutá-

vit, et in omni virtutum genere enituit. Diutius infirmitatibus afflictus, Deo indesinenter gratias agebat. Cum multis annis ecclesiam sibi commissam summa cum laude gubernasset, sanctis operibus et miraculis clarus, quievit in pace.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

**Ant. 1** Interrogabat eum \* rex multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat, alleluja.

**Psalmi de Dominica 1 loco.**

**2** Rex dixit: \* Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, alleluja.

**3** Affirmabat rex \* se divitem et beatum facturum. Non obcedio precepto regis, sed precepto legis, quae data est nobis, alleluja.

**4** Tunc rex, accensus ira, \* in hunc super omnes crudelius desavit, alleluja.

**5** Beatus, \* qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se, alleluja.

**Capit. Eccli. 21, 28-29**

**L**abia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statim ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

**Hymnus**

**V**ix in sepulcro conditur,

Signis Joannes prouiditur,  
Per cratium repagula  
Intermicant miracula.

Hic ejus hostes illico,  
Pudore maesti publico,  
Ultrice dextra Numinis,  
Poenas rependunt criminis.

Hic damna rerum flentibus  
Famaeue conquerentibus,  
Abducta res reuertitur,  
Ablata fama redditur.

Hic corpus aegritudines,  
Tempus vicissitudines,  
Periculum securitas,  
Mortem fugit mortalitas.

Hic viva lingua Martyris,  
Sed muta voce sanguinis  
Clamans, ut Abel, improbat,  
Regique crimen exprobrat.

¶ **Sequens conclusio nunquam mutatur.**

Unius, o, da, Trinitas,  
Triúmque simplex Uni-  
tas,  
Ut, qui Joánni súpplicant,  
Id impetrent, quod flágitant. Amen.

**V.** Pósuí ori meo custódi-  
diam, allelúja. **R.** Cum  
consisteret peccátor ad-  
versum me, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Qui-  
cúmque \* glori ficáverit  
me, glori ficábo eum: Qui  
autem contémnunt me,  
erunt ignóbiles, allelúja.

### Oratio

**D**eus, qui ob invictum  
beáti Joánnis sacra-  
mentále siléntium nova  
Ecclésiám tuam martýrii  
coróna decorásti: da; ut,  
ejus exémplo et interces-  
sióne ori nostro custódi-  
am ponéntes, beátis, qui  
lingua non sunt lapsi, an-  
numerémur. Per Dómi-  
num nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Ubaldi:**

**Ant.** Euge, serve bone  
et fidélis, quia in pauca  
fuísti fidélis, supra multa  
te constítuam, dicit Dó-  
minus, allelúja.

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas, al-  
lelúja. **R.** Et osténdit illi  
regnum Dei, allelúja.

### Oratio

Auxílium tuum nobis,  
Dómine, quæsumus, pla-  
cátus impénde: et, inter-  
cessióne beáti Ubáldi  
Confessóris tui atque  
Pontíficis, contra omnes  
diáboli nequítias dexte-  
ram super nos tuæ propi-  
tiationis exténde. Per Dó-  
minum nostrum Jesum  
Christum, Fílium tuum:  
Qui tecum vivit et regnat.

**Ad Horas Antiphona et  
Psalmi de Feria; ad Primam  
Lectio brevis Aurum tuum,  
ut infra ad Nonam.**

### AD TERTIAM

**Capit. Eccli. 21, 28-29**

**L**ábia imprudentium stul-  
ta narrábunt, verba  
autem prudentium staté-  
ra ponderabúntur. In ore  
fatuórum cor illórum, et  
in corde sapiéntium os  
illórum.

**R. br.** Sacraméntum re-  
gis abscondere bonum  
est, \* Allelúja, allelúja.  
**Sacraméntum. V.** Opera  
autem Dei reveláre hono-  
ríficum. Allelúja, allelúja.  
**Glória Patri. Sacramén-  
tum.**

**V.** Pone, Dómine, cu-  
stódiám ori meo, allelúja.  
**R.** Et óstium circumstán-  
tiæ lábiis meis, allelúja.

## AD SEXTAM

Capit. Eccli. 28, 28

**S**epi aures tuas spinis,  
linguam nequam noli  
audire et ori tuo fácito  
óstia et seras.

**R.** br. Pone, Dómine,  
custódiam ori meo, \* Alle-  
lúja, allelúja. **Pone.** **V.**  
Et óstium circumstántiæ  
lábiis meis. Allelúja, alle-  
lúja. Glória Patri. **Pone.**

**V.** Dixi: Custódiam vias  
meas, allelúja. **R.** Ut non  
delínquam in lingua mea,  
allelúja.

## AD NONAM

Capit. Eccli. 28, 29-30

**A**urum tuum et argén-  
tum tuum confla et  
verbis tuis fácito staté-  
ram et frenos ori tuo rec-  
tos: et atténde, ne forte  
labáris in lingua.

**R.** br. Dixi: Custódiam  
vias meas, \* Allelúja, al-  
lelúja. **Dixi.** **V.** Ut non  
delínquam in lingua mea.  
Allelúja, allelúja. Glória  
Patri. **Dixi.**

**V.** Pósuí ori meo custó-  
diam, allelúja. **R.** Cum  
consisteret peccátor ad-  
vérsus me, allelúja.

## IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capitulum de  
Laudibus 51\*, Psalmi ut in I

Vesperis de Communi Apo-  
stolorum, sed loco ultimi  
Ps. 115.

## Hymnus

**J**am faces licitor ferat, et  
minántem,

Jam ferox ensem, rabi-  
dúmque tortis

Vínculis ferrum, sacra ni  
sacérdo

Abdita pandat.

Séntiet vires, animæque  
magnæ

Pródigum pectus: violén-  
tus ira

Non quatit recti sólida  
tenácem

Mente satélles.

En ruit præceps tumu-  
látus unda

Martyr, et fluctu plácido  
siléntem

Náufigus linguam meli-  
óris ævi

Servat in usum.

At superjéctæ fáci- na-  
tántes

Amne discúrrunt, ruti-  
lántque circa

Máryrem flammæ: bene  
gesta plaudens

Ornat Olýmpus.

Ornat et linguam, rósei  
instar ignis,

Vívidam servans, et ad-  
huc rubéntem,

Indicat, quænam fúerit  
tacéntis

Grátia linguæ.

Sit decus Patri, genitá-  
que Proli,  
Spíritum laudent, ab utró-  
que puris  
Qui calet flammis, sine  
fine psallens  
Orbis utérque.  
Amen.

**V.** Pósui ori meo custó-  
diam, allelúja. **R.** Cum  
consisteret peccátor ad-  
vérsus me, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** In conspéctu poténtium, \* admirábilis ero, et fácies princípum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respicient, allelúja.

#### Oratio

**D**eus, qui ob invictum beáti Joánnis sacraméntale siléntium nova Ecclesiám tuam martýrii coróna decorásti: da; ut, ejus exémplo et intercessióne ori nostro custódiam ponéntes, beátis, qui lingua non sunt lapsi, annúmerur. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio sequentis:**

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stulam glóriæ induit eum, allelúja.

#### Oratio

Deus, qui beátum Paschálem Confessórem tuum mirífica erga Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti: concéde propítius; ut, quam ille ex hoc divino convívio spíritus percépit pinguédinem, eándem et nos percípere mereámur: (Qui vivis.)

**Deinde S. Ubaldi:**

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stulam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

#### Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, intercessióne beáti Ubaldi Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diaboli nequítias dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum nostrum.

**Completorium de Feria.**

Die 31 Maji

BEATÆ MARIÆ VIRG.  
OMNIUM GRATIARUM  
MEDIATRICIS

Duplex majus

Omnia de Communi Festo-  
rum B. Mariæ Virg., præter  
ea, quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

**Ant. 1** Benedictionem \*  
omnium gentium dedit  
illi Dóminus, et testamén-  
tum suum confirmávit su-  
per caput ejus, allelúja.**2** In ætérnum \* miseri-  
córdia ejus, et usque in  
generationem et genera-  
tionem, allelúja.**3** Benedícam te \* in vita  
mea, et in nómine tuo levá-  
bo manus meas, allelúja.**4** Non pepercisti \* áni-  
mæ tuæ propter angústias  
et tribulationem géneris  
tui, allelúja.**5** Recordáre, \* Virgo,  
Mater Dei, dum stéteris  
in conspéctu Dómini, ut  
loquáris pro nobis bona,  
allelúja.**Capit. Is. 55, 1****O**mnes sitiéntes, veníte  
ad aquas: et qui non  
habétis argéntum, prope-  
ráte, émite et comédite:  
veníte, émite absque ar-  
génto et absque ulla com-  
mutatióne vinum et lac.Prima stropha sequentis  
Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

**A**ve, maris stella,  
Dei Mater alma,  
Atque semper Virgo,  
Felix cæli porta.Sumens illud Ave  
Gabriélis ore,  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen.Solve vincla reis,  
Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.Monstra te esse matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.Virgo singuláris,  
Inter omnes mitis,  
Nos, culpis solútos,  
Mites fac et castos.Vitam præsta puram,  
Iter para tutum,  
Ut, vidéntes Jesum,  
Semper collætémur.Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spirítui Sancto,  
Tribus honor unus.

Amen.

**V.** Ora pro nobis, Me-  
diátrix nostra potentíssi-  
ma, allelúja. **R.** Ut digni  
efficiámur promissióni-  
bus Christi, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Ecce, Dóminus meus \* ómnia mihi trádedit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradiderit mihi, allelúja.

### In II Vesperis

**Ad Magnif. Ant.** Salus nostra \* in manu tua est; respice nos tantum et læti serviémus Regi Dómino, allelúja.

### Oratio

**D**ómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatissimam Vírginem, Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatricem constituere dignatus es: concéde propítius; ut, quisquis ad te beneficia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur: Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

**Et fit Commemoratio S. Angelæ Mericiæ Virginis:**

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna, allelúja.

### Oratio

Deus, qui novum per beátam Ángelam sacrarum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrenis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. (Per Dóminum.)

**Deinde Commemoratio S. Petronillæ Virg.:**

**Ant.** Símile est regnum cælórum hómimi negotiátóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

### Oratio

Exáudi nos, Deus, salutaris noster: ut, sicut de beátæ Petronillæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiõnis erudiámur afféctu. Per Dñm.

### AD MATUTINUM

**Invitat.** Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére voluit per Mariam, \* Veníte, adorémus, allelúja.

**Ps. 94** Veníte, exultémus.



## Hymnus

**C**hristus humáni géneris  
misértus,  
Morte nos ictos mérita,  
supérnam  
Rursus ad vitam genuit,  
suóque  
Sáanguine tersit.

O pium flumen, scelus  
omne purgans!  
O inexháustum pélagus  
bonórum,  
Unde septéno fluit usque  
fonte  
Vita salúsque!

Hos tamen sacros láti-  
ces redémptis  
Quis ministrábit? Datur  
hoc Mariæ  
Munus, ut divæ moderé-  
tur undæ,  
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis mé-  
ruit Redémptor,  
Dona partítur Génatrix  
María,  
Cujus ad votum sua fun-  
dit ultro  
Múnera Natus.

Te per ætéros veneré-  
mur annos,  
Trínitas, summo celebrán-  
da plausu:  
Te fide mentes resonóque  
linguæ  
Cármine laudent.  
Amen.

## In I Nocturno

**Ant.** Fons hortórum, \*  
púteus aquárum vivénti-  
um, quæ fluunt impetu de  
Libano, allelúja.

**V.** Sub tuum præsidium  
omnes confúgimus, alle-  
lúja. **R.** Sancta Dei Géne-  
trix, allelúja.

De libro Ecclesiástici

## Lectio i Cap. 24, 5-11

**E**go ex ore Altíssimi  
prodívi primogénita  
ante omnem creatúram:  
ego feci in cælis, ut oriré-  
tur lumen indeficiens, et  
sicut nébula texti omnem  
terram. Ego in altíssimis  
habitávi, et thronus meus  
in colúmna nubis. Gyrum  
cæli circuívi sola, et pro-  
fúndum abýssi penetrávi,  
in flúctibus maris ambu-  
lávi, et in omni terra steti:  
et in omni pópulo et in  
omni gente primátum há-  
bui: et ómnium excellén-  
tium et humílium corda  
virtúte calcávi: et in his  
ómnibus réquiem quæsívi,  
et in hereditáte Dómini  
morábor.

**R.** In Sion firmáta sum,  
et in civitáte sanctificáta  
simíliter requiévi, et in  
Jerúsalem potéstas mea:

\* Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illius, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea, allelúja. **V.** Sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. **Et.**

**Lectio ii Ib., 22-31**

**E**go quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiae. Ego quasi vitis fractificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generatióibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatióibus sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non pecábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

**R.** Mecum sunt divítiae et glória, opes supérbæ et justítia: \* Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretiósó, et genímna mea argénto elécto, allelúja. **V.** In viis justítiae ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligétes me, et thesáuros eórum répleam. **Mélior.**

**Lectio iii Ib., 41-46**

**E**go quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquæductus exívi de paradíso. Dixi: Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce, factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare: quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspiciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

**R.** In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. \* Transíte ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generatióibus meis implémini, allelúja. **V.** Spiritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. **Transíte. Glória Patri. Transíte.**

### In II Nocturno

**Ant.** Hábit grátiam \* et misericórdiam coram Rege super omnes mulieres, allelúja.

**V.** Nostras deprecatiões ne despicias, allelúja.

**R.** In necessitatibus nostris, allelúja.

Ex oratiõe  
sancti Ephræm Syri  
Diacóni ad Deiparam

### Lectio iv

**D**ómina mea, sanctíssima Dei Génetrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnere, bonórum ómnium erogatio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediatrix totíus mundi: vide meam fidem meúmque desidéri-

um divínitatis datum. Ne despicias indignum, neque meárum actiónum fœditates tuam imménsam misericórdiam interrumpant, Dei Génetrix, meum desiderabilíssimum nomen; nihil enim est firmitus trophæum quam tuum auxiliium. Tu enim abstulisti omnes lácrimas a fácie terræ; tu creaturam replésti omni género beneficii: cælestibus lætítiam attulisti, terréstria salvásti. Per te resurrectiões nostræ tésseram certíssimam tenémus; per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus; per te omnis glória, honor et sáncctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiõem sæculi Apóstolis, Prophétis, iustis et humilibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur, atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

**R.** Ecce, Dóminus meus ómnia mihi trádidit, \* Nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradiderit mihi, allelúja. **V.** Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. **Nec quidquam.**

Sermo  
sancti Germáni Epíscopi  
Constantinopolitáni

Lectio v Or. 9 p. med.

**N**os qui divinórum ópe-  
rum morúmque páu-  
peres sumus, dum per te,  
o María, nobis exhibitas  
benignitátis divítias cér-  
nimus, propénse dicá-  
mus: Misericórdia Dómi-  
ni plena est terra. Nos, in  
multitúdine peccatórum a  
Deo extórres, per te De-  
um quæsívimus et invéni-  
mus, inventóque salvi fac-  
ti sumus. Igitur potens ad  
salútem præstándam au-  
xílium tuum, o Dei Gén-  
etrix, ac ejúsmodi, ut nul-  
lum álium mediatórem  
necessárium hábeat ad  
Deum. Plane enim nullus  
tuæ magnificétiæ finis;  
insatiábilis opitulátio tua.  
Nullus múnerum tuórum  
númerus est. Nullus enim,  
nisi per te, o sanctíssima,  
salútem conséquitur. Nul-  
lus, nisi per te, o imma-  
culatíssima, qui a malis  
liberétur. Nullus, nisi per  
te, o castíssima, cui do-  
num indulgeátur. Nullus,  
nisi per te, o honoratís-  
sima, cui grátiae munus  
misericórdia præstétur.  
Quam ob rem, quis te

beátam non prædicábit?  
Te, inquam, gloriósam, te  
beatificándam, te, quæ ab  
ipso Fílio tuo ac Deo mag-  
gnália nacta sis, uti mag-  
na et admiránda: quam  
ob rem te laudant omnes  
generatiónes.

**R.** Præpósita ómnibus,  
gubérnat créditam sibi  
domum et univérſa, quæ  
ei sunt tráditá. \* Absque  
ejus império non movébit  
quisquam manum aut pe-  
dem in omni terra, alle-  
lúja. **V.** Benedictiónem  
ómnium géntium dedit illi  
Dóminus, et testaméntum  
suum confirmávit super  
caput ejus. **Absque.**

Sermo sancti Bernárdi  
Abbátis

In Nativitate B. Mariæ Virg.,  
n. 6

Lectio vi

**I**ntuére, o homo, consi-  
lium Dei, agnósce consi-  
lium sapiétiæ, consi-  
lium pietátis. Cælésti ro-  
re áream rigáturus, to-  
tum vellus prius infúdit:  
redemptúrus humánum  
genus, prétium univér-  
sum cóntulit in Mariam.  
Ut quid hoc? Forte, ut  
excusarétur Eva per fili-  
am, et queréla viri ad-

vérſus féminam deinceps ſopirétur. Ne dixeris ultra, o Adam: Múlier, quam dedíſti mihi, dedit mihi de ligno vétito; dic pótius: Múlier, quam dediſti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíſſimum ſane conſílium: ſed latet fórsitan áliud, nec totum hoc eſt. Altius ergo intueámini, quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totius boni plenitúdinem póſuit in María, ut proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid grátiae, ſi quid ſalútis, ab ea novérimus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus et votis ómnibus Mariám hanc venerémur; quia ſic eſt volúntas ejus, qui totum nos habére voluit per Mariám. Hæc, inquam, volúntas ejus eſt, ſed pro nobis.

**R.** Laudáte Dóminum, Deum noſtrum, qui non deſéruiſt ſperántes in ſe: \* Et in me, ancílla ſua, adimplévit miſericórdiam ſuam, quam promíſit dómui Iſrael, allelúja. **V.** Deus exaltávit me, ut ſalvos fácerem multos póſulos. **Et. G**loria Patri. **Et.**

**In III Nocturno**

**Ant.** Si invéni grátiam \* in óculis tuis, o Rex, dona mihi póſulum meum, pro quo óbſecro, allelúja.

**V.** A perículis cunctis líbera nos ſemper, allelúja. **R.** Virgo glorióſa et benedícta, allelúja.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem

**Lectio vii Cap. 19, 25-27**

**I**n illo témpore: Stabant juxta Crucem Jeſu Mater ejus et ſoror Matris ejus, María Cléophæ, et María Magdaléne. Et reliqua.

Homília ſancti Bernardini Senéſis

*Quadragesimale de christiana religione, Sermo 51, de Passione Domini parte 2, art. 1, cap. 3*

**P**ulsántur admiratióne ómnium legéntium ſive audiéntium mentes, ſcilicet quo motu, quo ſenſu, qua poſſibilitáte, qua vera auctoritáte, iſta dicúntur, quod diſcípulus tránſeat in filium Virgínis, et Virgo hábeat purum hóminem filium, quem non génuít: ſic nec quod ſit filius ex Virgíne, qui de corrúptis paréntibus natus erat ex ſémine.

Impossibilia quidem vidéntur hæc, sed nihil impossibile apud Deum. Pietáte quidem et oratióne opus est ad ingrediéndum tale mystérium. Múlier enim beáta Virgo vocátur a Christo, quam numquam appellávit ex vóci-bus matrem. Múlier, et non múlier: sed super ángelos et hómines et mulieres superexcédens múlier. Accépit a Fílio, quem cum atérno Patre únicum possidébat, filium præter ventrem, quem ante in carne habébat ipsa nepótem.

**R.** Facta est María refúgium páuperi, \* Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne, allelúja.

**V.** Virgo potens sicut turris David: mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Adjútrix.

### Lectio viii

**S**ed in quo filiatiónis gé-nere Joánnes Vírginis factus est filius, aut ejus mater facta est Virgo? Non hoc natúra favet, non concéptus, non partus exséquitur, non ingræssus in úterum, ut dénuo nascerétur, non adóptio pro hereditáte in temporálibus consequénda,

nec ex imitatióne, aut ex proláta doctrína. Nec ista disserénda erant verbo Christi: nec facta est locútio, ut sit quasi, sed sic a Christo légimus dictum: Múlier, ecce filius tuus, ut, exclúsa omni superfluitáte verbórum, secretum mystérii penetrémus. Mýstice ígitur intellé-gimus in Joánné omnes á-nimas electórum, quorum per dilectiόnem beáta Virgo facta est mater; filius enim in græco nomen amóris est. Omnis enim Christi amor in amórem Vírginis transit, ut mérito filius, id est, amor Vírginis nuncupétur, magisque Vírginem hábeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccáto damnátum mundo, suscepto sémine generávit.

**R.** Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiae, \* Ut misericórdiam consequámur et grátiam inveníamus in auxílio oportúno, allelúja. **V.** Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. **U**t misericórdiam consequámur et grátiam inveníamus in auxílio oportúno, allelúja. **G**lória Patri. **U**t.

Feria II Rogationum et in  
Vigilia Ascensionis IX Lectio  
de Homilia Feriæ; alias

Pro S. Angela Mericia:

Lectio ix

**A**ngela Mericia, piis orta  
paréntibus, a prima  
ætate magna virtútum  
specímína dedit, cilício ac  
flagéllis frequenter usa,  
et oratióni indesinéter  
dédita. Patérnis bonis ab-  
dicátis, ac régulam tértii  
órdinis sancti Francisci  
ampléxa, evangélicam  
paupertátem virginitátis  
laudi conjúnxit, nullúm-  
que pietátis officium erga  
próximos omísit. Sacra  
Eucharístia frequentíssimé  
refécta, tanta caritá-  
tis vi ferebátur in Deum,  
ut sæpius extra sensus  
raperétur. Bríxiæ novam  
virginum societátem sub  
certa disciplína sanctis-  
que vivéndi régulis con-  
stítuit, quam sanctæ Ur-  
sulæ patrocínio ac nómi-  
ne insignívit. Tandem  
prope septuagenária evo-  
lávít in cælum, anno  
Dómini millésimo quin-  
géntésimo quadragésimo,  
sexto Kaléndas Februárii.  
Cultum illi jámdiú ex-  
hibítum Clemens Papa dé-  
cimú tértius sollémni de-  
créto rátum hábuit et con-

firmávit. Pius vero Papa  
séptimus sanctárum Vir-  
ginum catálogo eam ad-  
scrípsit.

Te Deum laudámus.

Sicubi autem IX Lectio ali-  
cujus Officii commemorati non  
fuerit dicenda, erit sequens

Lectio ix

**M**utátur hæc matérni-  
tas et filiátio ex auc-  
toritáte verbórum Christi  
in Cruce pendéntis. Prop-  
tèreá natúra transit in  
grátiam, et grátia nobíli-  
tat profécto natúram; non  
quod una in álteram com-  
mutétur, sed quia natúra  
ex grátia perfícitur. Mala  
múlter Eva corruptióne  
natúra; bona múlter Ma-  
ría, mater grátia, mater  
misericórdia. Datur mater  
grátia pro matre nat-  
úra; manet tamen mater  
natúra, manet étiam mater  
ex grátia. Erat enim  
Joánni mater María Sa-  
lóme in órdine succedén-  
tis natúra; est étiam sibi  
mater beáta Virgo in ór-  
dine grátia. Est mater  
Eva cunctórum per trá-  
ducem natúra; est et Vir-  
go María mater ómnium  
amántium Christum per  
infusióne invisibilis grá-  
tia.

Te Deum laudámus.

## AD LAUDES

et per Horas

**Ant. 1** Benedictionem \* omnium gentium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

**Psalmi de Dominica 1 loco.**

**2** In ætérnum \* misericórdia ejus, et usque in generatióem et generatióem, allelúja.

**3** Benedicám te \* in vita mea, et in nómine tuo levábomanus meas, allelúja.

**4** Non pepercisti \* animæ tuæ propter angústias et tribulatióem géneris tui, allelúja.

**5** Recordáre, \* Virgo, Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

**Capit. Is. 55, 1**

**O**mnes sitiéntes, veníte ad aquas: et qui non habétis argéntum, prope-ráte, émite et comédite: veníte, émite absque argénto et absque ulla com-putatióne vinum et lac.

**Hymnus**

**M**aría, quæ mortálium Preces amánter éx-cipis,  
Rogámus ecce súplices,  
Nobis adésto pépétim.

Adésto, si nos críminum  
Caténa stringit hórrida;  
Cito resólve cómpedes,  
Quæ corda culpís illigant.

Succúrre, si nos sáculi  
Fallax imágo péllicit,  
Ne mens salútis trámi-tem,  
Oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori  
Advérsa sors impéndeat;  
Fac, sint quiéta témpora,  
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto filiis  
Tutéla mortis témpore,  
Ut, te juvánte, cónsequi  
Perénne detur prámium.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spí-ritu,  
In sempitérna sácula.  
Amen.

**V.** Ora pro nobis, Me-diátrix nostra potentíssi-ma, allelúja. **R.** Ut digni efficiámur promissióni-bus Christi, allelúja.

**Ad Bened. Ant.** Absque tuo império \* non mové-bit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja.

**Oratio**

**D**ómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssi-mam Virginem, Matrem



tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatricem constituere dignatus es: concède propitius; ut, quisquis ad te beneficia petiturus accesserit, cuncta se per eam impetrasse lætetur: Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre.

**Et fit Commemoratio S. Angelæ Mericiae Virg.:**

**Ant.** Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam, allelûja.

**V.** Diffusa est grátia in labiis tuis, allelûja. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum, allelûja.

**Oratio**

Deus, qui novum per beatam Angelam sacram Virginum collégium in Ecclesia tua florêscere voluisti: da nobis, ejus intercessiône, angélicis móribus vivere; ut, terrenis omnibus abdicatis, gaudiis pèrfrui mereámur ætérnis. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde S. Petronillæ Virg.:**

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe coronam, quam

tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelûja.

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua, allelûja. **R.** Inténde, prospere procède, et regna, allelûja.

**Oratio**

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beatæ Petronillæ Virginis tuæ festivitáte gaudeamus; ita piæ devotiônis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

**AD TERTIAM**

**Capit.** Omnes sitiéntes, ut supra ad Laudes 64\*.

**R. br.** Sub tuum præsidium omnes confúgimus, Allelûja, allelûja. **S.** Sub tuum. **V.** Sancta Dei Génatrix. Allelûja, allelûja. Glória Patri. **S.** Sub tuum.

**V.** Nostras deprecatiônes ne despicias, allelûja. **R.** In necessitatibus nostris, allelûja.

**AD SEXTAM**

**Capit.** Is. 55, 2-3

**A.** Audite audiéntes me, et delectábitur in crassitudine ánima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet ánima vestra.

**R.** br. Nostras deprecationes ne despicias. \* Allelúja, allelúja. **Nostras.**  
**V.** In necessitatibus nostris. Allelúja, allelúja. **Glória Patri. Nostras.**

**V.** A periculis cunctis libera nos semper, allelúja. **R.** Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

### Oratio

**D**ómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem, Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatricem constituere dignátus es: concéde propítius; ut, quisquis ad te beneficia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetráre lætétur: Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

### AD NONAM

**Ant.** Recordáre, \* Virgo, Mater Dei, dum steteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

**Capit.** Is. 55, 5

**E**cce gentem, quam nesciébas, vocábis; et gentes, quæ te non cognóverunt, ad te current propter Dóminum, Deum

tuum, et Sanctum Israel, quia glorificávit te.

**R.** br. A periculis cunctis libera nos semper. \* Allelúja, allelúja. **A** periculis. **V.** Virgo gloriósa et benedícta. Allelúja, allelúja. **Glória Patri. A** periculis.

**V.** Eja ergo, advocáta nostra, allelúja. **R.** Misericórdes óculos tuos ad nos convérte, allelúja.

### IN II VESPERIS

**Omnia ut in I Vesperis 55<sup>s</sup>, præter Ant. ad Magnif., ut infra.**

**V.** Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. **R.** Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúja.

**Ad Magnif. Ant.** Salus nostra \* in manu tua est; réspice nos tantum et læti serviémus Regi Dómino, allelúja.

**Et fit Commemoratio S. Angelæ Mericiæ Virg.:**

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

**Oratio**

Deus, qui novum per beatam Angelam sacram Virginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluisti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrenis ómnibus abdicatis, gáudiis pérfrui mereámur aetérnis. Per Dóminum nostrum.

Die 5 Junii

**S. BONIFATII****Ep. et Mart.****Duplex II classis**

**Omnia de Communi Martyrum Tempore Paschali, præter ea, quæ in Breviario hac die habentur propria.**

**In I Nocturno Lectiones A Miléto.**

**In II Vesperis fit Commemoratio sequentis.**

Die 16 Junii

**S. BENNONIS****Ep. et Conf.**

**Duplex majus, sed ad modum Simplicis recolendum**

**IN I VESPERIS**

**Ant.** Sacerdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo,

ora pro nobis Dóminum, allelúja.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stulam glóriæ induit eum, allelúja.

**Oratio**

**D**eus, qui nos beati Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circumdas et prótegis: da nobis, et ejus imitatioe proficere, et intercessióne gaudere. Per Dóminum.

**AD LAUDES**

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

**IN II VESPERIS**

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stulam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

KALENDARIUM

25 S. Walburgæ Virg., duplex **FEBRUARIUS** pag. 1\*

15 S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf., duplex majus. **MARTIUS** 3\*

27 S. Ruperti Ep. et Conf., duplex majus. Com. S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct. 6\*

5 B. Crescentiæ Höss Virg., duplex. Com. S. Vincentii Ferrerii Conf. 10\*  
19 S. Leonis IX Papæ et Conf., duplex 14\*

21 S. Conradi a Parzham Conf., duplex II classis. Com. S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct. 16\*  
27 S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., duplex II class. 26\*

**MAJUS**

Primo Sabbatò mensis: In Sollemnitate B. Mariæ Virg. Patronæ Bavarie, duplex I classis 26\*

4 S. Floriani Mart., duplex majus. Com. S. Monicæ Viduæ 36\*

5 S. Godehardi Ep. et Conf., dupl. maj. Com. S. Pii V Papæ et Conf. 39\*

16 S. Joannis Nepomuceni Mart., duplex majus. Com. S. Ubaldi Ep. et Conf. 43\*

31 B. Mariæ Virg. Omnium Gratiarum Mediatricis, duplex majus. Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. et S. Petronillæ Virg. 55\*

**JUNIUS**

5 S. Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis 67\*

16 S. Bennonis Ep. et Conf., duplex majus 67\*

**APPROBATIO**

Concordat cum originalibus approbatis.  
Passavia, die 1 Februarii 1954

Dr. FRANCISCUS RIEMER

Vic. Gen.

**IMPRIMATUR.**

Passavia, die 2 Februarii 1954

† SIMON CONRADUS O. S. B.

Episcopus Passav.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet

Printed in Germany